HISTORIA MERCVRII ET MERCVRIALIVM MEDICA.

LIBELLVS PRIMVS.

SCRIPSIT

ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER,

SERENISS. PRINCIP. LANDGRAVII HASSO - CASSELLANI CONSIL. AVL. ET ARCHIATER PRIMARIVS, MEDIC. PRACT. PROF. ORD. ILLVSTRIS COLLEGII CAROLINI, NOSOCOMII CHARITATIS DIRECTOR, PHARMACOPOEAE AVLICAE INSPECTOR, MEDICVS ORDINARIVS COHORTIS PRAETORIANAE EQVITVM, NEC NON LEGIONIS PRAETORIANAE PRIMAE ET IVVENVM NOBILIVM, MILITIAM DISCENTIVM CAET.

GOETTINGAE,

apud IOH. CHRIST. DIETERICH.

1783.



VIRO

ERVDITIONE ET PROBITATE
EXIMIE CONSPICVO,

LAVRENTIO CRELL,

PROFESSORI MEDICINAE APVD
HELMSTADIENSES

CELEBERRIMO,

DE CHEMIA, MATERIA MEDICA PHARMACIA, PRAXI MEDICA, OPTIME
MERITO,

AMICO VETERI,

D. D. D.

ERNESTVS GODODREDVS
BALDINGER.

LECTVRIS.

S.

Quae nuper ſeorſim prodierunt programmata academica, cum Gottingae adhuc viuerem, iunctim recuſa exhibeo, vt amicorum, qui haec rogarunt, deſiderio ſatisfacerem.

Reſtat libellus ſecundus, quem mox prodire iubeam. Enarrabit ille hiſtoriam praeparatorum mercurii, quotquot innotuerunt mihi, omnium, quorum vnquam in re medica aliqua fuit vtilitas.

Prodiit interim Cl. MACQVER liber abſolutiſſimus, dictionarium chemicum, ſtudio Cl. LEONHARDI doctis additamentis locupletatus et perpolitus, vt

quae adiici poſſint, videantur perpauca. Etenim in eo libro fere omnia dicta ſunt, quae medico de mercurio eiusque praeparatis, ſcitu neceſſaria.

Tironum vero in gratiam Epitomen eius doctrinae abſoluere decreui mecum, vt in tabula quaſi perſpiciant, quae huc pertinent, et vt cognoſcant, quibus auctoribus, et quo tempore, praeparata, omnia mercurialia inuenta, et vſibus medicis commendata, quaeque horum fuerint fata progreſſu temporum. Iuuat enim memoriam rerum diſcendarum nil magis, artis hiſtoria ipſa, quam quis excolendam ſibi elegit.

Libelli huius pars altera docebit, ex lectione noſtra varia ſparſim fuiſſe adiicienda ſuis locis, quae ſpectant controverſiam auctorum, de vſu et applicatione

one mercurialium, quae doctrina neutiquam occurrit, nec locum habet, in egregio libro cl. MACQVER, in quo chemica ſolummodo et phyſica pertractavit vir eruditiſſimus.

Licuit mihi, per quatuordecim annos, non ſine applauſu materiam medicam docenti, animaduertere, vix memoria poſſe capi a tironibus ingentem multitudinem eam mixtionum et relationum chemicarum praeparatarum, officinalium.

Eam itaque ob cauſſam tabulas nonnullas communicaui, in quibus haec omnia, perſpicue ſatis expoſita. Illarum breuem conſpectum propediem communicabo in promptuario medicis deſtinato, integrum vero opus illo tempore fortaſſis typis exſcribi curabo. Ita de me-

liori lecturis me commendo, qui ſedem ſolummodo, non vero ſtudii genus mutaui, quod a puero mihi placuit et ad ultimum vitae halitum certe placebit. ſcrib. CASSELLIS et 3. Ianuarii. 1783.

HISTO-

HISTORIA MERCVRII ET MERCVRIALIVM MEDICA.

PARS I.

GOTTINGAE. D. 22 IVN. 1781.

R*uit nunc mole ſua eruditio*, non inepte quidem nuper dixit vir, ambitum vniuerſae doctrinae ſatis bene perſpiciens. Tanta enim et incredibili fere induſtria, tot virorum noſtra aetate clarorum, augetur adeo quotannis eruditionis copia, vt vel diligentiſſimus, omni licet adhibito ſtudio, vix queat perſcrutari omnia ea, quae nuperrime forſan dicta et inventa ſint, cum vix omnes libelli omnium in ſingulorum manus perveniant. Non mirum itaque, multa ſaepe effugere no-

titiam eorum, qui ex instituto epitomen doctrinae cuiusdam elaborare student. Veniam itaque facile dabo, sed et expecto simul, quodsi non omnia velim exhaurire, quae dicenda forent super hydrargyri historia medica, cuius epitomen tradere, atque in libello, mole paruo, exponere, mecum decreui. Propria edoctus scio peritia, multa multis adhuc esse ignota, quae passim super variis ex hydrargyro conficiendis praeparatis annotata leguntur, ut, si non laudes, tamen gratias expectare queam, sie horum omnium notitiam brevi ac succincta commentatione exhibeam.

Sum vero persuasus, neminem recte intelligere doctrinam, quam profitetur, nisi edoctus sit illius pleniorem historiam, a primis inde temporibus, ad nostram usque aetatem, et singula eius doctrinae dogmata, suis inuentoribus vindicare sciat. Sed ad ipsum argumentum meum me statim conuerto. Cum vero ab instituto meo nimis alienum foret, si ea omnia hic repetere vellem, quae spec-

ſpectant hydrargyri noſtri e terra eruti indolem, malim euoluat ea de re quisque, recentiorum libellos, qui nunc in omnium manibus verſantur. Paucos ex his non poſſum ſilentio prorſus praeterire. Ex Hydrargyri fodinis et mineris, noſtro tempore celebriores ſunt Idrienſes atque Electoratus Palatini, quorum accuratiores deſcriptiones Virorum Cl. SCOPOLI *a*), FERBERI *b*), HACQVET *c*), nec non MVCHA *d*), et COLINI *e*), non ſine emolumento leguntur.

Cl.

a) de Hydrargyro Idrienſi. recuſ. Ien. 1771. 8vo.

b) Beſchreib. des Queckſilber-Bergwerks zu Idria. Berlin. 1774. 8.

c) de mineris hydrarg. Idrienſ. im B. 3. der Berlin. Naturf. Geſellſch.

d) vom Queckſilber-Bergwerk zu Hydria. Wien. 1780. 8.

e) de Mineris hydrargyri et cinnabaris natiuae in Palatinatu, Act. Acad. Palat, T, I. p. 505. et germ. in Prompt. Hamburg. nouo P. 21. De mercurio in uniuerſum Cf. etiam Linne Mineralſyſtem von Gmelin Th. 3. S. 29.

Cl. FERBER, viro in hiſtoria naturali et chemia verſatiſſimo, inprimis debemus pleniorem relationem de vſitata hodie methodo hydrargyrum e mineris Idrienſibus eliciendi. Immenſa eſt copia hydrargyri, quae quotannis variis in locis e mineris elicitur. Sic lego apud *Valmont de* BOMARE *f*): *„On tire communément tous les ans des mines de Guancavelica, „pour un million de Livres, de vif argent, qu' on „transporte par terre a Lima, puis a Arica, „et de-là à Potoſi.„* Idrienſes fodinae anno 1497 detactae, (quo tempore dira lues gallica latius ſerpere cepit, tertium in annum, poſtquam ex America in Europam delata), dedere Anno 1663 teſte *Valvaſor* apud BRUECKMANNVM *g*)

f) Dict. univ. d'hiſt. nat. ed. noua. T. IV. Paris. 1775. 4to p. 123. In hoc libro manca admodum inuenitur hydrargyri hiſtoria, et nimis breuiter pertractata.

g) Magnal. Dei oder Beſchreib. aller Bergwerke u. ſ. w. Th. I. Braunſchw. 1727. fol. p. 66.

a) Mercurii vulgaris 244, 119. ℔.
b) Mercurii virginei 11, 762. ℔.
Summa 255, 881. ℔. g*)

Anno vero Seculi huius 52 lego Idriae 300, 000 ℔ ponderis civilis immo ultra, a metallicolis fuiſſe effoſſas *h*). Tot uſibus enim cum hydrargyrum inſeruiat, non medicis ſolum, ſed oeconomicis etiam, ex fodinis Idrienſibus in poſterum quotannis colligi debent hydrargyri 2, 500 centenarii *i*) lege promulgata, Occurrit autem *mercurius virgineus*

g*) *a*) Mercurii virgin. 26, 668 ℔
b) —— commun. 667, 666
Summa 694, 334 ℔
ex iisdem fodinis collectae fuere Anno 1661. teſte *Bechero* in Phyſ. ſubterr.

h) *Wabſt*, *Chr. Xav.* Tentamen de Hydrargyro, P. I. Vindob. 1754. 4to. p 20. Is liber paucis notus iſt. Multa continet bona, ſed mala etiam mixta bonis. Pars altera prodiit nunquam.

i) v. III. *Schloezeri* commercii epiſtolaris; argumenti potiſſimum ſtatiſtici et hiſtorici. Faſcic. 34. p. 258.

neus, qui ignem nondum expertus eſt, forma fluida hauſtus e fodinis, et mercurius e mineris ſuis variis igne liquatus, in fornace cuius deſcriptionem et delineationem debemus Cl. *Ferbero* iam ſupra laudato. Cinnabarim natiuam a mineris hydrargyri vulgaribus ſola ſulphuris admixtione diuerſam eſſe, atque ex cinnabari hydrargyrum elici poſſe, immo ex hydrargyro atque ſulphure per ſublimationem cinnabarim confici poſſe, notiſſima res eſt. De varia encheireſi autem et regulis obſervandis in confectione cinnabaris, ſuo dicam loco.

Aurum et Plantinam del Pinto, ſi exceperis, grauitate hydrargyrum reliqua ſingula metalla ſuperat. Non eadem vero grauitas hydrargyro in diuerſis locis collecto et eliquato competit, nam haec multum differt, ſi in diuerſo loco natali collectus, aut minus bene purgatus fuerit mercurius, vt ſuo tempore iamiam MVSCHENBROECK *k*) tabulam ponde-

k) Introduct. ad Philoſoph. nat. T. II. L. B. 1762. 4. p. 539. et ib. Cinnabaris p. 540.

ris eius diuersi dederit lectu dignam. De Hydrargyri pondere apud *Valmont de* BOMARE *l)* seq. lego: „*Un pied cube de mercure, pese neuf cents soixante et dixsept livres.*„

Crediderunt olim Alchymici, mercurium esse principium metallorum, et arte singulari ex quouis metallo mercurium elici posse. Sed doctis argumentis iam suo tempore *Guern.* ROLFINC commentum istud refutauit *m)*, nuper vero istud metallorum principium negarunt Viri Cl. WIEGLEB *n)* et GMELIN *o)* rerum chymicarum sagacissimi iudices. Calor ignis, qui nondum aquam ebullire facit, hydrargyrum in vapores mutat, et aufugere in totum

l) l. c. p. 122.

m) v. Ei. libellus: Non-Ens chymicum, Mercurius metallor. et mineralium. Ienae. 1670. 4to.

n) in Annot. ad VOGELII Chym. §. 95.

o) in Chymia 1780. 8vo. §. 55. p. 65. Non prorsus tamen negat b. ERXLEBEN elici posse ex metallis hydrargyrum; idque *productum* non *eductum* esse contendit. Chym. §. 814. Nullo autem experimento sententiam suam corroborauit.

totum cogit. Mirum itaque non eſt, aliquot homines incidiſſe in Ptyaliſmum, cum in hypocauſto viuerent, cuius fornaci calefacto vas impoſitum, continens mercurii libras viginti, etſi calor fornacis non ſuperaret gradum caloris 18 therm. REAVMVRIANI *p*). Per deſtillationis modum e mineris ſuis hydrargyrum ignis ope expellitur, vaporum forma *q*) Mercurius ipſe varia forma C. H. applicatus, ceu vapor inuiſibilis iterum per cutim exhalat, et tum ea metalla, quae homo ſecum gerit, vel quae in vicinia ſunt, nigredine obfuſcat, immo efficere ſolet, vt in aliis hominibus, qui non aſſumſere mercurium, a ſolis illis vaporibus ptyaliſmus oriatur. Hydrargyri mineras, qui effodiunt metallicolae, non vnam ob rationem periculoſiſſimo corripiuntur ptyaliſmo, aliaque grauiſſima experiuntur ſymptomata, quae optime nuper deſcrip-

p) Mem. de l'Acad. de Berlin. Ann. 1778. p. 9. teſte Cl. ACHARD.

q) WABST l. c. p. 21. ſp. et BAVMÉ ctl. Exper. Chimie Th. 3. S. 444.

fcripfit Cl. SCOPOLI. Manibus enim tractant mineras, et pars aliqua per cutim reforbetur, aliqua pars autem ore excipitur, quae deglutita nocet, et mercurius denique ipfe in vapores refolutus per ignem, reforbetur vtroque modo. Suffimigia arte adhibita, et olim vfitata, non folum excitarunt ptyalifmum, fed et varia fymptomata periculofa, nec non morbos neruorum, vt pauci hodie fuperfint, qui velint per fuffitus fanare luem, etfi nonnunquam inter topica auxilia fuffitus mercurialis tuto adhiberi poffit, et cum euphoria fumma aegroti.

De venenatis mercurii effectibus in metallicolarum corpora et fanitatem, fuo iam tempore fcripfit *Bernh.* IVSSIEV *r)* Metallicolae enim, qui veftes non faepius mutare poffunt, intra breue temporis fpatium pereunt. Mira res eft profecto, metallicolas Idrienfes tanta vermium multitudine, quae fere fidem fu-

r) Mem. de l'Ac. des Sc. de Par. A. 1719.

ſuperat, aegrotare, cum tamen mercurius ſit anthelminticorum princeps, et ipſa *Plenckii* ſolutio gummoſa in vermibus expellendis mihi ſaepius ſatisfecerit.

Vt vero leni calore in vapores reſoluitur mercurius, ſic e contrario a frigore denſatur, immo in ſolidum corpus coit. BOERHAAVII tempore iſtud mirabile phaenomenon adhuc erat ignotum, etſi non ignoraret vir ſummus artem, quae docet frigoris gradum mirum in modum augere. Varia illa caloris et frigoris phaenomena in Elem. chym. exponens *s*) tandem ait: „*Spectamus mercurium* „*adeo denſari, vt adhuc fere contrahatur ad* „$\frac{1}{269}$ *ſuae molis. Scimus mirabile hoc corpus* „*tanto in frigore, tanta in denſitate, manere* „*aeque fluidum, quam ante, aeque mobile, ae-* „*que expanſile.*„ Paulo poſt addit: „*Scimus* „*per experimenta edocti, videmusque accedere* „*ita ſenſim per frigus ad pondus auri proprium* „*mercurium.*„ Vaticinatus eſt vero ſimul, per

s) recuſ. Lipſ. 1732. 8vo. T. I. p. 148.

per alias vires posse aliquando augeri pondus eius ect.

Primum a frigore artificiali hydrargyrum congelatum videre *Petropoli* BRAVNIVS atque GRISCHOVIVS mense Dec. A. 1759; ille paulo post coram Soc. Petrop. obseruationes suas praelegit, et deinceps publici iuris fecit *t*). Sed deinde Cl. PALLAS die 6 Dec. in Sibiria a frigore summo naturali hydrargyrum vidit perfecte congelatum *u*).

t) in libello: de admirando frigore, quo mercurius est congelatus. Petrop 1760 4to et in nov. Comm. Petrop. T. XI. p. 268. Exst. germ. im neuen Hamb. Mag. B. 4. p. 370-72, nec non in Cl. TITII neuen gesellsch. Erzählungen, Leipz. 1762. 8. p. 4. p. 241. et 267. sp. Eiusdem phaenomeni mentio fit in NIC. DE HIMSEL, of artificial Cold produced at Petersburg in Phil. Transact. Vol. LI. P. II. Ann. 1760. nec non in b. ERXLEBEN Naturl. §. 464.

Sed bene monet BAVMÉ, non constare certo satis, quo gradu frigoris vere contigerit congelatio mercurii Chym. Th. 2. p. 441.

u) v. Ei. Reisen. B. III. S. 417. et in Epitome Frft. P. III. p. 324. nec non Berl. Samml. B. VI. p. 266.

De hydrargyro per frigus artificiale in corpus perfecte solidum mutando egit etiam ex instituto THOMAS HVTCHAM *x*). Adeo vero condensatum fuit, vt malleo obediret, et plumbi instar sonum obtusum ederet.

Quem denique fugiunt experimenta illa, quae Cl. BLVMENBACH hic Gottingae instituit *y*) die 4 Ian. 1774, qui frigore artificiali hydrargyrum in corpus solidum coëgit.

Non vero summum gradum frigoris semper requiri, vt mercurius mutetur in solidum corpus, sed beneficio frigoris mitioris mercurium prius in vapores resolutum facillime condensari Ill. BVFFON *z*) affirmat. Roterodami deinde d. 28. Ian. 1776. Cl. BICKER, et nuperrime *de* ELTERLEIN d. 4. Ian. 1780. per frigus artificiale mercurium etiam congelatum viderunt, teste Cl. BLVMENBACH *a*).

Hy-

x) in Philos. Transact. P. I. Vol. LXVI.

y) v. Götting. Anz. 1774. St. 13. nec non ex iisdem Berl. Samml. B. IX. p. 132.

z) in Hist. Nat. Suppl. T. I. v. Götting. Anz. 1775. p. 141. —

a) v. Ei. Naturhist. B. 2. p. 537.

Hydrargyrum semimetallis adnumerarunt omnes olim. Quum vero per frigus 568° therm. Fahrenh. in corpus perfecte solidum malleabile mutetur, non dubitauit b. ERXLEBEN, praematura morte nobis ereptus, metallis ipsis adnumerare hydrargyrum *b*). Pluribus argumentis grauissimis iam ante b. ERXLEBEN, Cl. WIEGLEB, vir acutissimi ingenii, et ad augendam omnino natus chymiam, eandem sententiam affirmauit *c*).

b) Chymie §. 495.

c) in Annot. ad §. 30. Chym. b. VOGELII.

HISTORIA

MERCVRII ET MERCVRIALIVM MEDICA.

PARS II.

GOTTINGAE. D. 28 FEBR. 1781.

Superſunt phaenomena nonnulla mercurii recenſenda, quae quidem phyſica vulgo vocantur, at nihilo minus a medico etiam illorum cognitionem non eſſe negligendam, quis hodie dubitat, cum *πολυπϱαγμοσύνη* noſtra aetate inprimis commendet medicum.

Et primo quidem mercurii motus in tubo TORRICELLIANO mirifice olim eruditorum exercuit ingenia, nataeque inde controuerſiae, quae vix omnibus ac ſingulis hodie notae. Princeps agitata inter GVNTH. CHPH. SCHELHAMER et BERNARD. RAMAZZINVM.

NVM *a*). Iam quidem illius cauſſam ignorat nemo, et ſtudium illud phyſicorum, barometri ope tempeſtatum viciſſitudines accuratius determinandi, effecit, vt longe accuratius HIPPOCRATE ipſo HVXHAMVS, aliique eximii medici recentiorum temporum, aëris epidemicas conſtitutiones, morbosque inde oriundos, horumque viciſſitudines definire potuerint, ſic quidem, vt vix quidquam his adiici poſſe videatur. Laetamur nunc merito, non adeo abſtruſam eſſe hodie quam olim, doctrinam morborum epidemicorum, nec non endemiorum, etſi nondum ex omni parte horum indoles nobis cognita atque perſpecta. Anno 1675 PICARDVS, Acad. Pariſinae Soc. in tubo TORRICELLIANO incluſum mercurium, et in loco obſcuro motum, phoſphori inſtar lucem ſpargere, primus vidit *b*).

a) Exſt. liber SCHELHAMERI de motu mercurii in tubo TORRICELLI et de eod. arg. RAMAZZINI Kilon. 1699. 8.

b) V. IO. FRID. WEIDLER diſſ. de Phoſphori mercurialis hiſtoria, phaenomenis, pa-

Iſtud phaenomenon accuratiori nuper examini ſubiecit Cl. ACHARD *c*) et varia tentamina inſtituit circa frictionem mercurii cum variis corporibus, inprimis vero reſinoſis, ad illuſtrandam quaeſtionem, num lux moti mercurii, ab electricitate vitri oriatur, quam ſententiam veroſimilem cenſet vir eruditiſſimus.

Sed recenſenda nunc veniunt phaenomena illa varia mercurii triti cum variis corporibus, ex quo quidem connubio naſcuntur nunc *amalgamata* ſic dicta, nunc vero *Aethiopis* permultae ſpecies. Amalgama vulgo audit mercurii cum metallo mixtio, triturationis ope.

Docuit vero experientia, artium magiſtra, cum aliis metallis facillime coire mercurium, difficilius cum aliis, et cum aliis denique vix

parandi modis etc. Vitemb. 1715. r. CHR. EBERLIN Alio titulo ſtatim hanc diſſ. promulgauit WEIDLERVS, nempe Exerc. de Phoſphoro mercuriali.

c) chym. phyſ. Schriften. Berlin 1780. 8. p. 205. ſeqq.

vix nisi ope tertii cuiusdam corporis admiscendi, cum quo et mercurius illudque corpus, quod per se non vniri patitur cum mercurio, affinitatem quandam habet, in qua definienda hodie vniuersa fore chemia occupata est.

Coit mercurius cum Bismutho, stanno, plumbo, cum Bismutho facillime, et huius beneficio magna copia stanni et plumbi cum mercurio sese misceri patitur.

Non raro etiam mercurius in mercatorum tabernis venalis, praeter stannum vel plumbum simul cum bismutho mixtus fraude reperitur.

Amalgamata haec iam olim studio explorarunt viri doctissimi BORRICHIVS *d*) HANNEMANNVS *e*) et nuper MALOVIN *f*).

B 5 Dis-

d) sur les parties salines, contenues dans le mercure le mieux depuré, et diversites des amalgames. Mém. de Par. T. 6.

e) de trituratione mercurii cum lapide haematite. ib. T. 6.

f) de vnione mercurii cum antimonio, stanno, plumbo. Mem. de Par. 1740.

Difficillime omnium vero cum marte mercurius iungi se patitur. Dicam vero infra suo loco, quibus artificiis, quaue arte et mercurius cum marte possit uniri.

Quodsi vero mercurius fraude aliis metallis mixtus, fieri non potest, quin eius qualitas mutetur.

Etenim a plumbo vel stanno admixto, globulorum mercurii maior vt fiat cohaesio, necesse est, hinc non adeo celerrime diffluit et in minores globulos non adeo facile dissilire solet, quam mercurius purissimus. Simul etiam in mercurii superficie cuticula apparet, et his notis vulgo quidem cognoscitur, mercurium non esse purum.

Vsibus vero medicis et chemicis cum nonnisi purissimus adhiberi queat, varias encheireses excogitarunt, quibus mercurium ab admixtis metallis liberare tentarunt, non optimo semper euentu.

Etc-

Etenim iusserunt alii, mercurium fraude aliis metallis mixtum per corium exprimere, vt nempe metalla peregrina in corio remaneant, et solus mercurius per corium transeat. Sed monendum est, hanc mercurii purgandi methodum vix sufficere.

Parcior enim plumbi vel stanni copia, mercurio admixta, solummodo in corio remanet, si vero maior, tunc omnino haud exigua eius portio simul per corium transit. nec hac ratione purus mercurius obtinetur.

Metallum peregrinum prodit etiam mercurii in crucibulo candente evaporatio. Remanet enim calcis forma alienum metallum, et solus mercurius aufugit.

Alia dein mercurium purgandi methodus excogitata fuit, scilicet eius lotio cum aceto concentrato, aut bonae notae. Soluit enim acetum plumbum, et sapor aceti dulcis plumbum declarat, sed cum acetum vix omne plumbum

bum soluere possit, hinc portio insignis non soluta remaneat; nec haec methodus laudes meretur.

Tertia itaque methodus per modum destillationis prioribus illis substitui cepit. Quae vulgo quidem artis vocabulo *reuificatio* mercurii audit.

Etenim amalgamata varia mercurii et compositiones eius destillationi subiiciuntur.

Iubent alii Amalgama ex stanno et mercurio, vel ex bismutho et mercurio destillationi subiicere; alii vero eum in finem cinnabarim aut aethiopem mineralem miscent siue cum marte, ioue, terra calcarea, calce viua, vel sale tartari, et ex retorta vitrea instituere solent destillationem. Vas recipiens aqua repletum sit, necesse est, vt condensare possint sese vapores. Hac ratione nimirum sulphur remanet et cum admixtis corporibus sese iungit, mercurius autem ascendit et in recipiente colligitur. Sulphuris enim affinitas

tas cum illis corporibus longe maior eſt, quam cum mercurio, hinc ſeparatio eius contingit. Sed monendum eſt, Cl. WEIGEL per experimenta fide digniſſima docuiſſe, non tuto ſatis depurari mercurium per varia corpora metallica *g*) et metalli quidquam ſimul aſcendere. Simplicem deſtillationem mercurii propoſuit DOSSIE *h*), et omnem lotionem eius cum aqua et aceto ſuperfluam declarauit.

Aethiops mineralis per triturationem ex mercurio et ſulphure paratur, et cum antimonium additur, *aethiops ille antimoniatus Huxhami* naſcitur, de quibus ſuo loco prolixiori ſermone dicam.

Mercurius per ſe ſola trituratione in pulverem et aethiopis ſpeciem conuerti ſolet, et hunc pilulas ingredi KEYSERI, notum eſt.

Cum

g) v. Chym. Beob. p. 23. et Chem. B. 2. §. 1077. Ex mercurio ſublimato corroſiuo etiam reſuſcitatio eius per additamenta obtinetur, quae acidum ſalis abſorbent.

h) the Elaboratory laid open etc. p. 208. et 209.

Cum ſaccharo tritus, dat *mercurium ſaccharatum* Edinb., cum reſina, v. c. Guaiaci, dat Pil. *Merc*, et *Aethiop.* cum balſamo vel terebinthina ſurgunt pilulae, vnguenta, iam dudum in officinis receptae compoſitiones. Mercurium cum abſorbente quodam tritum; angli appellant *mercurium* alcaliſatum.

Etiam cum melle ſubigitur, pro pilulis conficiendis. Huc etiam pertinet PLENCKII methodus, qui iubet mercurium cum gummi arabico vel pilularum vel liquoris forma propinare. Cum manna KEYSERVS et angli mercurium eiusque praeparata unire iubent.

Digeſtionem mercurii cum oleo oliuarum inſtituit olim HOMBERG *i*) ſed vix vſibus medicis commendatum fuit iſtud connubium.

Veterinariis autem in vſu eſt linimentum ex mercurio et oleo baccarum lauri, contra ſcabiem et pediculos vaccarum.

Venio nunc ad aquae bullientis efficaciam in mercurium. Res nota eſt, non mutari mer-

i) Mem. de l'Ac. de Sc. de Par. A. 1709. Contin. 1713.

mercurium ſi cum aqua coquitur, hanc vero vim anthelminticam nanciſci. Nuperis experimentis Cl. VICAT *k*) aquae huius mercurialis contra lumbricos efficaciam denuo confirmavit. Vermes rotundos et aſcarides necat, et tam viuos, quam mortuos expellit. Cum lacte ſimul propinatur. Alii vero vna cum decocto rad. graminis ſimul coquere iubent mercurium viuum, vt decoctum magis efficax fiat. Poteſt et mel addi.

Non minui ſolet mercurii grauitas coctione cum aqua, nec ulla in eo mutatio obſeruatur.

Extrahi principium quoddam volatile alii volunt *l*) alii credunt, hanc vim anthelminticam deberi plumbo, mercurio admixto *m*).

Sed notari meretur cum mercurio, puriſſimo et probe purgato, omnino decoctum aeque

k) in delectu obſ.

l) BAVMÉ, Exp. Chym. Th. 2. p. 440.

m) Cl. Gmelin, Chym. §. 148.

que efficax parari, et permulta alia praeparata ex mercurio vermes quoque expellere.

Vt verum itaque fatear, nondum definire audeo, quae ſit ratio virtutis illius anthelminticae aquae mercurialis.

Non ſolum autem contra Vermes mercurium ſolebant coquere medici, ſed et contra luem ipſam gallicam, aliosque morbos chronicos rebelles, olim magis quam hodie in vſu erant decocta lignorum et radicum cum mercurio et interdum antimonio ſimul parata. Formulas nonnullas KLEINIVS nobiſcum iterum communicat *n*) nec opus eſt anxie formulas illas quaerere, nam multae in multorum libris occurrunt, quos ſingulos nominare meum nunc non videtur officium.

Princeps eius generis decoctum eſt ZWELFFERI iſtud, quod et KLEINIVS l. c. recenſuit. Continet cum lignum, tum corticem Guaiaci, lignum ſaſſafras, pimpinellae radicem, et

n) in ſelectu rat. form.

et absque mercurio iamiam efficax remedii genus eſt. Scio tamen, frequenter b. WERLHOFIVM praeſcripſiſſe, nec dubito iis in morbis laudes mereri, quibus medendis nuperi reſinam Guaiaci commendarunt.

Solo igne, vaſe clauſo, per longum tempus chemicos mercurium tractaſſe, notum eſt.

Eminent ſummi BOERHAAVII tentamina, qui ſpatio quindecim annorum et vltra, mercurium ignis imperio ſubiecit, et nihilominus mercurium non mutatum inuenit. Mercurius enim ille, qui per ſe *praecipitatus* appellatur, aut trituratione ſola, aut deſtillatione ſimplici denuo viuus renaſcitur *o*).

Phlogiſti tamen quidquam amittit, ſed via ſicca, ſolo adhibito igne, ſine alio additamento, et humida via, per acidum ſalis, aquam fortem etc. reſuſciatur.

Re-

o) BOERHAAVE Exp. de mercurio, Tranſact. Lond. A. 1733. N. 430. inſerta. Seorſim forma libelli. Frft. et Lipſ. 1736. 4t.

Recenſui hactenus dotes generales mercurii eiusque praeparata ſimpliciſſima, cum nempe per varia corpora ſola trituratione parum mutatur.

Antequam itaque ad ea praeparata progrediar, quae ſiſtunt calces mercurii, aut mercurium magis mutatum, dicam prius de vſu mercurii crudi ad varios morbos ſanandos.

Veteres mercurium viuum venenis adnumerarunt, hinc ab eius vſu medico prorſus abſtinuerunt. Sufficit nominaſſe DIOSCORIDEM et PAVLVM ex inſula Aegina natum, nec non PLINIVM. DIOSCORIDES ait L. V. Cap. 110. Mercurium potum habere vim pernicialem, nam ſuo pondere interna perrodere.

Et hanc quidem ſententiam veriſſimam credidere medici omnes vsque ad Arabum tempora, qui primum forma vnguenti ſed parcius contra cutis morbos varios adhibuerunt.

GALENVS tamen fatetur, ſibi ipſi per experimentum proprium venenatam mercurii qualitatem non conſtare. Sciuit iamiam AVICENNA, mercurium viuum per anum iterum expelli. Sed memini me legiſſe ante aliquot annos in diſputatione Teutoburgi habita, Cl. LEIDENFROST obſeruaſſe, mercurium contra ileum olim potum, poſt annos tres per aluum denuo fuiſſe iterum excretum, ideoque tam diu in colo vt videtur, remanſiſſe. Cibum crudum ſeriori tempore per aluum interdum expelli, fide obſeruationum conſtat, hinc dictam obſeruationem de mercurio poſt adeo longum temporis interuallum excreto ego in dubium vocare nolim.

Fortaſſis iners credidere veteres medicamentum, quod per aluum iterum expelli viderent.

Vapores certe mercurii noxii, et metallicolarum, nec non artificum morbi a mer-

curio obſeruati, ſuſpicionem iuſtam dedere, eſſe venenum *p)*.

Et certe triſtes effectus ptyaliſmi a mercurio, larga copia inprimis ingeſti, mercurium nondum ab omni effectu venenato liberant, etſi proprie venenum non ſit.

Mercurius forma ſuffimigii, non caute ſatis adhibitus, praeparata eius varia ſalina, et peruerſa mercurialium applicatio, ſaepius aeque nocuere ac venenum acutiſſimum.

BRASSAVOLVS et MVSITANVS contra vermes doſi minori ad gr. ſq. jj-jv infantibus dederunt.

Con-

p) De morbis Hydrargyri foſſorum Idrienſium accurate ſatis ſcripſit Keyßler in ſ. Reiſen; Hannover 1751. ed. nov. 4t. p. 1199.
Idem quoque prolixe et accurate diſſeruit de fodinis ipſis Idrienſibus, Hiſpanicis, et Mexicanis, ex quibus colligitur hydrargyrus, quod iam ſupra indicare debuiſſem. Sed rerum dicendarum copia effecit, vt non nominauerim librum, quem coram habeo, legi ſaepius, et cuius fidem in dubium vocat nemo.

Contra TAENIAM hodie amalgama ex mercurio et ſtanno in vſu eſt. PLENCKII ſolutionem gummoſam contra Vermes merito laudauit Cl HARTMANN, Prof. Frft. ad Viadr. Alii laudant hunc in finem Decoctum Spigeliae Anthelm. aut ſem. ſant. cum mercurio. Loco aquae poteſt PLENCKII liquor parari ope decocti ex Cortice Peruuiano.

In epilepſia, quae a vermibus orta, laudauit olim b. HEISTERVS electuarium quoddam ex mercurio viuo, cortice peruviano, Syrupo et conſerua Fumariae *q*).

Sed monendum eſt vix poſſe exacte ſatis haec omnia miſceri, et in memoriam iterum reuocanda erit obſeruatio illa Cl. SCOPOLI hydrargyri foſſores Idrienſes incredibili vermium copia laborare, etſi ptyaliſmus in his ſimul adſit.

Ex ſolo fere pondere agere mercurium in ileo notiſſima res eſt, hinc maiori copia

 in-

q) Occurrit quoque apud KLEIN. l. c. p. 55.

ingurgitare nonnulli ſuaſere. Feces expuliſſe et in ileo a fecibus induratis mirifice profuiſſe, teſtantur ZWINGER, Mem. de l'Ac. de Paris T. I. BVCHNER, RAV; Nov. Act. N. C. T. III.

Laudat quoque in hoc morbo b. ANT. DE HAEN.

Sed experimentum ſaepe fallax eſt, nec in omni caſu locum inuenit.

Non medetur enim ſpaſmo, et nocebit praeſente iamiam vehementiori inflammatione, vbi gangraena iam imminet, et inteſtina fere emortua.

Fortaſſis ſolutio mercurii gummoſa cum oleo lini ſimul mixta, quod GALLESKY laudibus extulit, vtiliſſimum praeberet medicamentum.

Mercurium pondere ſuo vermes expellere SPIELMANNVS ait in mat. med.

Ad

Ad partum pellendum olim adhibuerunt mercurium parua dosi; sed MATTHIOLVS expertus est, integram mercurii libram non potuisse abortum efficere.

Nolim tamen prorsus indubium vocare mercurii effectus in nexu soluendo vterum inter et placentam, maxime cum constet effectus mercurii in ossibus stagnantis.

Amuleti forma contra pediculos adhibetur mercurius, et lactis secretionem impedire ait DEGNER in Act. N. c. Vol. V. Obs. 149.

De vsu interno mercurii viui nuper egit GALAND T. I. Mem. de l'Ac. de Sc. de Par.

Ad calculum renum et vesicae dissoluendum mercurium viuum commendat MEAD.

ROSENSTEINIVS in ed. 3. p. 681. libri de morb. infantum, Swietenii formulam vnacum PLENCKII vnitam, ex mente Cl. BIERCHEN communicauit.

In pharmacopoea Edinburgensi pilularum mercurialium sequens occurrit formula ℞

Merc. ʒvj. ſapon. alb. Hiſp. Reſin. Guaiac. ana ℥ß tere in mortario et admiſce ſulph. antim. aurat. ℥ß. Syr. comm. q. ſ.

Etſi vero mercurius noſtra aetate medicina polychreſta, tamen vſum eius interdixit LAVR. CAIET. FABBRI *r*). In anglia tanquam med. polychreſtam multi ad vnciam vnam ſumebant quotidie mercurium absque vlla ſenſibili excretione *s*).

Sed Frid. HOFFMANNVS iamiam ab vſu interno mercurii peſſima vidit damna, ſcil. tremorem artuum et impotentiam pedum *t*) et Cl. ADOLPHVS MVRRAY in diſſ. de cura luis gallicae narrat, hodie adhuc in Italia vſum mercurii prorſus interdictum eſſe.

r) dell vſo del mercurio, ſempre temeraria in medicina. Colon. 1749 et app. al. Tr. dell vſo etc. in giſtificatione. Luccae 1781.

s) Edinb. Verſ. Th. 3.

t) Med. Rat. Syſt. Sect. IV. P. 2.

HISTORIA
MERCVRII ET MERCVRIALIVM MEDICA.

PARS III.

GOTTINGAE D. 18 MARTII. 1781.

Recensui nuper pharmaca mercurialia simplicissima, quae sola fere mixtione et trituratione obtinentur. Iam vero recensenda veniunt seorsim *sulphureo-mercurialia* illa, *Aethiops* scil. *vulgaris*, *antimonialis* et variae *cinnabaris* species. Notatu autem dignum est, cinnabarim factitiam per aliquot saecula iamiam medicis in vsu fuisse, antequam aethiopem vulgarem in medicamentorum numerum reciperent. Arabis iamiam fuisse notam cinnabarim factitiam, nullum est dubium *a*).

 et

a) v. Ill. SPIELMANNI Inst. Chem. ed. alt. Arg. 1760. p. 247.

et cinnabarim antimonii *Basilium Valentinum* iamiam descripsisse certum est *b*).

Aethiopem mineralem, vulgarem, primum adhibuisse THEODORVM TVRQVETVM DE MAYERNE perhibent *c*). Tradidit autem in libro, typis saepius exscripto, *Praxis medica*, methodum conficiendi aethiopem mineralem *per ignem*. Sumebat mercurii partem vnam, sulphuris duas, et tamdiu super igne mouebat massam, donec non amplius sulphur appareret. Eadem methodo GEORGIVS BATE aethiopem parauit. Destrui sulphuris adiecti partem superfluam per incendium, vix est, quod moneam. Deinde GVALTHERVS HARRIS, in libro de infantum morbis sola *trituratione* sulphur et mercurium miscuit. Hydrargyri partes quatuor, florum sulphuris partes tres, ille iubet trituratione longa miscere.

Alii

b) V. SPIELMANN. l. c. p. 248.

c) V. SCHROMMIVS. Io. Fr. aut potius auctor I. H. SCHVLZE, vir eruditissimus, in diss. de Aethiope minerali. Alt. 1725.

Alii denique aliam proportionem miſcendorum praeſcripſere. Sed parum refert, nominaſſe omnes, cum tanta ſit rerum dicendarum copia, vt breuitatis ratio ſit habenda. Neque nimis parca, neque nimia ſit proportio ſulphuris ad mercurium, obſeruandum erit. Nec ſulphuris deflagratio requiritur, ſola enim ſulphuris liquatio ad ignem ſufficit, modo nimia non ſit ſulphuris copia, nam ſolummodo pars ſuperflua deflagratione conſumi debet.

Longe maior autem portio mercurii cum ſulphure liquato poteſt miſceri, quam ſola trituratio ſi adhibeatur. Etenim fuſione ſulphuris mercurii partes ſeptem, trituratione ſola nonniſi partes tres mercurii poſſunt iungi.

Hepar ſulphuris, tam fixum, quam volatile, dat cum mercurio via humida, Aethiopem mineralem, et ſublimatione veram cinnabarim. Ex mercurio ſublimato et hepate ſulphuris etiam obtinetur Aethiops mineralis *d*). He-

d) BAVMÉ, Experim, Chym. Th. 2. S. 482.

Hepar sulphuris aliaque mercurialia, sc. Turpethum, solutio mercurii in acido Nitri, et mercurius praeparatus ruber, si iunguntur, prius aethiopem, dein sublimatione cinnabarim largiuntur.

Ex parte sulphur omnino mercurium soluit, hinc aethiops calcis mercurii speciem sistit, et color eius vetustate temporis tandem magis niger euadit *e*).

Aethiopis mineralis antimonialis HUXHAMI praeparatio haec est: Antimonii crudi in puluerem tenerrimum conuersi, partibus tribus admiscentur mercurii viui partes quatuor, et florum sulphuris partes duae.

Triturationis diu continuatae beneficio, haec omnia exacte satis miscenda sunt.

Sulphur adiici debet, cum antimonium sulphure non adeo diues, vt cum mercurio exhibeat aethiopem genuinum.

Est

e) BAUME', l. c. p. 508.

Eſt itaque HVXHAMI medicamentum nil aliud, quam aethiops vulgaris, cui praeter mercurium et ſulphur ſimul partes antimonii regulinae admixtae ſunt.

Quis vero laudes ignorat, quas HVXHAMVS medicamento ſuo tribuit.

Interim tamen monendum eſt, obſeruaſſe nuper Cl. MARCARD *f)* ptyaliſmum, non ſine aegroti periculo, a dato aethiope HVXHAMI per aliquot dies, cuius doſis erant ſcrupuli duo quotidie. Res mira eſt omnino, mercurium ſulphuris ope ſic figi, vt nunc poſſit ſublimari ſine magno diſpendio, vaſe etiam non clauſo, ſed orificio phialae leuiter tantum obturato charta, et vim ſialalogam mercurii per additionem ſulphuris fere prorſus coerceri.

Sunt enim exempla valde rara, ptyaliſmum ſiue ab aethiope, ſiue a cinnabari, ſu-

f) V. ei. annot. ad THOMPSONI conſult. med. p. 263.

fuisse obseruatum. Aethiops et cinnabaris fautores inuenerunt multos, qui magnis laudibus extulere vires vtriusque medicinae, resoluentes inprimis, sanguinem ac lympham purificantes, hinc in morbis potissimum chronicis, scabie vulgari, venerea, vlceribus, tinea, glandularum obstructionibus, vermibus, vt centum alios morbos taceam, aethiopem laudarunt.

Ad peritiam suam prouocat b. NEVMANN *g*) se eximium effectum vidisse ab vsu aethiopis vulgaris, larga dosi ad drachmam vsque dimidia.

Sed Ill. TRILLERO, fautori nostro ab annis inde viginti, valde displicet aethiops vulgaris *h*), illumque iunioribus lac adhuc sugentibus infantibus pessime nocere contendit.

ELLERVS magni fecit suo tempore aethiopem antimonialem, in ipsa lue venerea, can-

g) Praelect. Chym. ex ed. Cl. ZIMMERMANN p. 503.

h) Dispens. vniv. T. II. p. 8. sq.

cancro etiam occulto et exulcerato. Ego vero, vt verum fatear, teſtor, me nunquam noxios effectus ab vſu vtriusque aethiopis vidiſſe.

Inſignem, ne dicam incredibilem, copiam vtriusque aethiopis, cum Longoſaliſſae olim, tum Gottingae nuper, ab A. 1773 aegrotis meis praeſcripſi, et teſtes prouoco tot ſodales inſtituti Clinici, e quibus nominare potuiſſem ſeptem Profeſſores, qui nunc cum laude publice artem ſuam profitentur, quique viderunt mecum, vſu inprimis aethiopis HVXHAMI, ſanatos fuiſſe morbos admodum rebelles, tineam capitis, ſcrophulas, vlcera foeda, ſtrumas, atrophiam, ſcabiem variam, oculorum morbos, et vermes expuliſſe iſtud remedium magna copia, et cachexiam verminoſam prorſus profligaſſe.

Iſtud vero ſimul monendum habeo, me vix vnquam eius generis medicamentum praeſcripſiſſe, niſi dato prius euacuante, ad ſor-

des

des primarum viarum eliminandas, acidorum vſum interdixiſſe, atque ſimul ptiſanam quandam, ſiue ex bardana, ſ. rad. graminis vel ſimili, praeſcripſiſſe. Nunquam vidi ptyaliſmum ab vſu aethiopis, qui tamen ſaepius a parciſſimo vſu ſpiritus mercurialis SWIETENII vehementiorem ptyaliſmum obſeruaui.

Nolim itaque ego pro inerti medicina aethiopem, HVXHAMI inprimis, declarare, quem e contrario damnarunt alii, tamquam medicamentum noxium.

Iam *Cinnabaris* tres ſpecies, ſc. *natiua* et *factitia* nec non *antimonii*, pariter factitia, noſtram attentionem merentur.

Quaeſtio olim mota fuit, vtrum tuto ſatis natiua poſſit interne ſumi *i*). Plurimorum

i) Hoffteter, Johann Adam, ob der natürliche und rein gewachſne Zinnober, als eine Arzney in dem menſchlichen Leib ohne Gefahr gebraucht werden könne. Leipz. 1708. 4t. et eod. anno 8vo ſed breuius. Ei, die vortrefliche Güte des natürlichen jedoch

rum autem consensu factitia prae natiua laudes meretur.

Natiuam ex vana opinione magis efficacem reddere, longa circulatione, proposuit olim CLAVDERVS *k*). Fuit commentum alchymicorum, cinnabarim antimonii, quae aliis placuit, praestantiorem esse vulgari factitia, et chemici omnes recentiorum temporum consentiunt, nullum plane discrimen esse, vtrum vulgaris, an vero antimonii, adhibeatur in praxi medica *l*). Sulphur enim antimonii non differt a sulphure communi, et neutiquam auri quidquam continet.

Pro

doch rein gewachsenen Zinnobers, entgegengesezt Joh. Gottfr. Beckern, — daß dieser Zinnober recht gebraucht, ein ganz unschädliches und nie genug gepriesenes Medicament sey. Schleswig 1711. 4t.

k) CLAVDER, GABR. inuentum Cinnabarinum, hoc est, de Cinnabari natiua hungarica, longa circulatione in maiorem efficaciam fixata et exaltata. Ienae. 1683. 4t.

l) v. BOECLER diss. de Cinnabari factitia vulgari, cinnabari natiuae et antimonii non solum aequiparanda, sed et praeferenda. Arg. 1749.

Pro cinnabari conficienda non eadem proportio sulphuris et mercurii, quam in aethiope minerali requiritur. Etenim sulphuris longe minor sufficit, immo praestat minimam sulphuris copiam mercurio addere, nam quo minor sulphuris, et quo maior mercurii portio, eo melior cinnabaris species sublimatione iungitur obtinetur, coloris nempe pulcherrimi, nam varia omnino proportio miscendorum, sistit cinnabarim. STAHLIVS in Chemia ad septem partes mercurii sufficere vnam sulphuris, docuit.

Sed cum parte nona sulphuris pulcherrimam cinnabarim obtinuit b. NIETZKY, vir in chemia exercitatissimus *m*).

Quodsi vero maior sulphuris copia sumatur, tunc obtinetur *mercurius violaceus Pa-*

ri-

m) v. Ei. diss. de Cinnabari ex calcibus mercurialibus conficienda, sine sulphure iisdem admiscendo. Hal. 1761. p. 10.

NEVMANNVS, l. supra cit. p. 462. ex mercurii p. 4. et sulph. vna, cinnabarim bonae notae obtinuit.

risiensium, sc. cinnabaris factitia, ob maiorem sulphuris admixti copiam nigrescens *n*).

Non multum differt *Mercurius diaph.* Cl. ASTRVC, scil. Aethiopis et salis ammoniaci partes aequales per sublimationem mixtae.

Ex calcibus mercurii variis, sine sulphuris additione cinnabarim obtineri, mirum non est. Totum enim artificium eo redit, vt addantur substantiae, ex quarum connubio statim nascitur hepar sulphuris. Sal mirabile scilicet prius in retorta tubulata in fluorem redigi debet, tunc addantur per vices miscelae ex turpetho minerali et carbonibus, aut tartaro crudo, aliquot portiones *o*).

Perhibent chemici in academia Diuionensi, ex sulphuris parte vna, mercurii partibus quatuor, aethiopem fusionis ope paratum, cum hepate sulphuris volatili intra spa-

n) V. TRILLER Dis. vniv. P. 2. p. 404. Habet Fl. sulph. p. 4. merc. p. 6. salis ammon. p. 4.

o) vid. b. NIETZKY in diss. cit. p. 14.

tium temporis horae dimidiae, dedisse cinnabarim pulcherrimam *p*).

Idem experimentum antea iamiam fecit BAVME' *q*) sc. absque igne per hepar sulphuris, tam fixum, quam volatile, veram cinnabarim parauit, licet non tam breui temporis spatio.

Sed omnino NEVMANNVS in Germania suo tempore docuit cinnabarim sine igne conficere, ex spiritus fumantis BOYLE vncia dimidia et mercurii viui drachma dimidia, sola mixtione et vitri agitatione *r*). Cl. WIEGLEB, de cuius amicitia laetor, per spiritum *Beguini*, cuius praeparationem emendauit, sine igne docuit cinnabarim conficere *s*).

Ex-

p) v. Anfangsgründe der theoret. und pract. Chym. u s. w. ex vers. Cl. WEIGEL B. 2. S. 33.

q) l. c. p. 519.

r) l. c. p. 462.

s) v. Ei. kleine chym. Abhandl. p. 37.

Experimenta illa, quae nuper facta super cinnabaris absque igne confectione, leguntur in libro vtilissimo infra nominato *t*).

Vnde vero cinnabaris color ruber, isque pulcherrimus, quaestio est nondum decisa. Cinnabaris sublimatio, quae Amstelodami hodie vsitata, descripta legitur apud Cl. FERBER *u*), qui modeste simul aliorum errores correxit. Fraude et cinnabari omnino admiscetur minium, Colcothar vitrioli, vel Crocus martis, num vero arsenicum album ad augendum colorem cinnabaris addere soleant, non ausus est definire Cl. FERBER.

Calcem plumbi aut Colcothar vitrioli, noua sublimatio aut incensio cinnabaris in crucibulo candente, manifestare solet, nam remanet calx plumbi et colcothar vitrioli, et sola cinnabaris aufugit. Proderet odor alliaceus sine dubio arsenicum, vt alia taceam ex-

t) Taschenbuch für Scheidekünstler u. s. w. für 1780. Weimar. S. 166.

u) l. c. pag. 338. et sequ.

experimenta, quibus vulgo cognoſcitur arſenicum.

Sublimatione cinnabaris repetita, hanc non emendari, ſed deſtrui potius, bene monuit BAVME' *x*), hinc vnica operatione rite inſtituta omnium optime ſublimatur.

Trituratione diu continuata, colorem cinnabaris augeri, notiſſima res eſt. Fortaſſis latent nos multa, que Batauis in vſu ſunt, adminicula, quod ipſe concedit Cl. FERBERVS, qui candore et veri amore cedit nulli.

Iam paucis de cinnabaris vſu, quem olim ex vana opinione pereximium credidere, hodie vero non multi magni faciunt. GODOFREDVS SCHVLZIVS in libello ſingulari *y*) de ampliſſimo cinnabaris vſu in praxi medica diſputauit. De ptyaliſmo per ſuffimigium ex cinnabari incenſa legi debet ASTRVC.

Inep-

x) l. c. p. 522.

y) Scrutinium cinnabarinum, etc. Hal. 1680. 8vo.

Ineptae ſunt certe omnes formulae, in quibus olim cinnabaris princeps ingrediens erat. Huc pertinere credo puluerem cephalicum MICHAELIS, temperantem STAHLII, cordialem Cellenſem, immo puluerem ſ. ſpecif. COBBII contra hydrophobiam; nam vires certe, ſi quas habent, admixtis aliis debent, non cinnabari. Inertiam cinnabaris accuſauit CARTHEVSERVS z). Solui ab humoribus noſtri corporis; per experimenta demonſtrare aiſi ſunt WALLERIVS a) et OETINGER b). Sed licet veriſſima ſint experimenta, ſolui extra corpus humanum cinnabarim a menſtruis variis, ſola tamen coniectura eſt, ſolui etiam interne ſumtam; nec vllum fide dignum experimentum mihi quidem innotuit,

z) in diſſ. de Cinnabaris inertia medica Frft. 1743. recuſ. in Ei. Collect. diſp. ib. 1775. 8vo.

a) WALLERII diſſ. pro. Cinnabaris efficacia, recuſa legitur Vol. I. Sylloges noſtr.

b) diſſ. Cinnabaris exul, redux in pharmacopolium. Tub. 1760.

cinnabarim vires habere neruinas, antispasmodicas, quas a multis decantatas lego.

Nec optimi mei praeceptoris b. MANGOLDI, quem in chemia praeceptorem habuisse, hodie adhuc laetor, tentamina me vincunt *c*).

Credat, qui velit, laudes cinnabaris, quas illi tribuit IOS. DALBY *d*).

c) in Act. Ac. Mog. T. II. p. 402. sq.

d) on the virtues of cinnabar and musk, against the bite of mad. dag. Birmingham 1764. v. Götting. Anz. 76 St. 1766.

HI-

HISTORIA MERCVRII ET MERCVRIALIVM MEDICA.

PARS IV.

GOTTINGAE. D. 8. APRIL. 1781.

Cinnabarim, cuius historiam nuper absoluere non potui, neque vehementer laudant, neque prorsus reiiciunt Auctores eruditissimi Pharmaciae Cassellis 1779. editae *a*), eam ob caussam, quod interdum ab eius vsu ptyalismum viderint nonnulli. Consentiente Ill. NICOLAI *b*) dubia eius manet vis. Hacc dum scribo, docta ad me venit dissertatio, in qua prolixe exposita legitur histoira de Suffimigiis cinnabrinis eorumque effectibus,

 quam

a) p. 90. seq.

b) Recepte und Curarten, p. 554. seq.

quam euoluat, qui velit, cupidus lector c), Pessime semel nocuit fumus cinnabaris antimonii ore exceptus, cum tertia vice per sublimationem illam emendare cogitaret artifex chymicus d). Cinnabaris vero antimonii obtinetur ex mercurio sublimato corrosiuo et antimonio, mixtis et per sublimationem coniunctis. Primo autem butyrum antimonii, deinceps vero cinnabaris ascendit. Arrodit nempe acidum salis regulum antimonii, et cum illo butyrum constituit, mercurius vero et sulphur cinnabarim efficiunt.

Variam miscendorum proportionem, et inter haec optimam, recensuit DOSSIE e). Idem

c) PONYRKA, Dionys. de Anathymiasi Cinnabaris. Argent. 1780.

Prorsus damnauit vsum suffimigii, in morbis etiam topicis.

d) Obseruatio legitur in IO. GEO. à BERGEN, diss. de Vi deleteria fumi cinnabaris antimonii. Frft. 1725. resp. VNGNAD.

e) The elaboratory laid open p. 252. seq.

Idem auctor docuit cinnabarim antimonii *ſine mercurio ſublimato corroſiuo*, ex merc. viv. p. XIII. Sulph. p. V. et antim. crud. p. I. et dimid. per ſublimationem, praeparare. Alia methodo absque *antimonio crudo* cinnabaris antimonii paratur, nimirum ex ſulphure antimonii aurato et mercurio crudo. Ex eodem ſulphure aurato et mercurio ſublimato corroſiuo, idem productum obtinetur, monente iam NEVMANNO *f*).

KENELMI DIGBAEI mercurius diaphoreticus nil aliud eſt, quam ſpecies cinnabaris antimonii. Iubet ille mercurii viui libram vnam et ſulphuris antimonii aurati vncias quatuor terendo miſcere ac repetita ſublimatione combinare. Vires, quas cinnabarim antimonii praeſtare crediderunt olim, prolixe recenſuit FR. HOFFMANN *g*).

Sed cum taedii et periculi plena operatio illa, conficiendi cinnabarim antimonii ex mer-

f) l. c. p. 461.

g) In diſſ. de Cinnabari antimonii Ien. 1681. reſp. GRÜLING.

mercurio corrofiuo et antimonio, hodie prorfus euiluit, nam faciliori tutiorique methodo butyrum antimonii obtinetur *h*), quod chirurgicis vſibus inferuit folummodo tanquam fepticum externe adhibendum, in morbis corneae, aliisque topicis vitiis, quae fepticum defiderant. Commode fatis hic locum inuenit *Aethiops* ille *Auripigmentalis*, quem ego fuperfluis adnumerare medicamentis nullus dubito *i*).

Proxime cum his conuenit mixtio mercurii, fiue viui, fiue eius praeparati, cum aliis pharmacis, quae fola trituratione vulgo mif-

h) Videatur in libro notiffimo: Almanach für Scheidekünstler vor 1780. p. 121. fq. haec methodus, quae B. NEVMANNO olim non ignota l. c. pag. 1464., vt itaque *nouum inuentum* dici non poffit.

STAHLIVS iamiam docuit parare butyrum antimonii absque mercurio fublimato corrofiuo, et eius methodum nuper emendauit BAVMÉ l. c. P. 2. pag. 493 et 92.

i) HARTMANN, PHIL. IMMAN: diff. de Aethiope antimoniali et auripigmentali. Hal. 1759.

miſcentur, et latiori ſenſu *Aethiopis* ſpeciem conſtituunt. De quibusdam ſupra dixi *k*).

Angli inprimis amant *mercurium alcaliſatum*, h. e. mercurium cum abſorbente quodam longa trituratione in puluerem ſubtiliorem comminutum. Datur in Germania etiam ex longo tempore mercurius dulcis cum abſorbente. Vtrumque medicamentum non ſolum in morbis venereae indolis, ſed et contra vermes dari ſolet. Anglis quoque placet *Aethiops* ex mercurio viuo et reſina Guaiaci. Praeſcribitur autem vel ſeorſim, vel vnacum aliis forma pilularum *l*).

Ipſe puluis *alterans* PLVMMERI eſt ſpecies *aethiopis mercurialis*. Eius medicamenti hiſtoriam, nec non ſimilium, in libro vtiliſſimo recenſuit Ill. NICOLAI *m*), nobisque otium fecit.

Lu-

k) Progr. II. p. 29.

l) de variis pulueribus mercurialibus v. NICOLAI, l. c. p. 796. ſq.

m) l. c. pag. 476. ſq.

Lubentiſſime et hic teſtor, per annos viginti et vltra ſaepiſſime et diu continuato vſu aegrotis meis ſumma cum euphoria PLVMMERI medicamentum varia forma me praeſcripſiſſe, nec memini vnquam me noxium effectum vidiſſe.

In tinea capitis ſanatu admodum difficili, multis aliis medicamentis fruſtra adhibitis, ſemel mirifice profuit pilularum forma puluis alterans PLVMMERI et CONIVM STOERCKII, illasque pilulas deinceps aliis aegrotis in morbis venereis frequentius praeſcribere coepi, et ſemel tantum ſpes mea fefellit, in mentagra venerea viri, quem nec tribus vicibus repetita ſaliuatio ſanare potuerat, cui puluis Conii cum melle, forma electuarii tandem reſtituit ſanitatem.

Cum tanta ſit multitudo mercurialium, vt Viri Cl. CVLLEN n) SAVNDERS o) DVNCAN p), FALCK q) vtiliſſimo conſilio in vſum

n) in Mat. med.
o) in verſ. anglica libelli Cl. PLENCK.
p) Tr. on Mercury;
q) Tr. on Mercury,

vſum iuniorum medicorum, haec omnia in tabula quadam conſignarent, non dubitaui primam eius partem hic apponere, vt lecturi eo melius perſpicere queant, quae hactenus in vſu fuere.

Occurrit itaque

I. *Mercurius*, isque purgatus, *tritus*,

a) absque additamento,

Aethiops per ſe, ingrediens *Trag.* KEISERI;

b) c. melle

Pil. Mercur. Ph. Edinb. 1744.

c) c. Balſamo vel Terebinth.

1) *Pil. Merc.* Lond.

2) *Empl. comm. c. Merc.* Lond.

3) *Empl. Merc.* Edinb.

4) *Vnguent. coerul.*; mitius et fortius, Lond.

5) *Cerat. Merc.* Lond.

d) c. *Reſina* (v. c. Guaiaci)

1) *Pil. Merc.* Edinb.

2) *Pil. Aethiop* Edinb.

e)

e) c. Gummi (v. c. Arab.)

1) *Solutio* |
2) *Pilulae* | PLENCKII.
3) *Syrupus* |

f) c. Pingued.

Vnguenta merc. varia.

g) c. Gelat. Ranar.

Empl. de Ranis c. Merc. Vigonis, varia proport.

h) purg. variis

Pil. Mercur. var.

i) c. terra abſorb.

Merc. alcaliſatus Anglor.

k) c. *Saccharo*

Merc. Saccharatus Edinb.

Sacch. Vermifug. Pariſ.

Aethiops purgans. Huc pertinent *Trochiſci et Morſuli.*

l) c. Sulphure

1) *Aethiops vulg. et antim.*

2) *Cinnab. varia*, ſublimatione

3) *Aeth. Auripigmental.*

m)

m) c. Sulph. ant. aurato

1) *Pulu. alterans Plummeri*

2) *Kleinii Merc. diaph.*

n) c. Manna

Trag. KEISERI

o) c. *Mica Panis*

Pil. Merc. var.

p) c. Conſeru. Roſar.

Bol. coerul.

II. *Mercurius igne calcinatus*

a) per ſe

Merc. calcin. Lond.

Merc. praecip. per ſe

— *calc. niger Boerh.* de Merc.

b) cum Auro

Merc. praecip. Solaris Aſtruc. Panacea vulgo de la Vigne.

Iam ſequuntur praeparata *Salino-mercurialia* varia, quae ſiſtunt modo *calces ſ. praecipitata*, modo *ſublimata*, quae, vt facilius pateant, non inutile cenſui tabulam ſequentem hic exhibere.

III. Mercurii ſolutio alia fit

a) per *acidum nitri*, quae ſiſtit

Solut. Merc. Edinb.

Calcem Merc. Edinb.

(*Merc. praecipit. alb.* v. infra)

Merc. praecipit. rubr. et *Arcan. corallin.*

Mercur. coerul. (vid. Apoth. Cal. vor 1781. p. 14.

b) per *acid. Salis communis*, vnde

Merc. *ſublim. corroſiv.*

— — *dulc.*

*) *Calomel.*

**) *Aquila alb.*

Merc. praecip. alb.

Mercur. *diaph. violac. Cl.* ASTRVC, ſ.

Flores ammoniaco - mercuriales. ſc. Aethiops et Sal comm. per ſublimat. ſi vero

Sal ammon. et merc. trituratione miſcentur, et deliqueſcit haec miſcela, naſcitur

Solutio mercurii per deliquium Cl. ASTRVC.

Mer-

Mercur. dulc. martiatus Cl. HARTMANN v. infra

c) per *acidum Vitrioli, unde*

Merc. praecip. flav.

f. *Turpethum minerale* et

Oleum Mercurii

d) c. acido aceti,

Solutio merc. et cupri in acido nitr. euap. et noua digeſtione cum aceto, dat *Merc. praecip. virid.*

Sola trituratio mercur. c. aceto dat

Mercurium Keyſeri, et ſimile productum ſiſtit calx mercurii per acidum nitri facta, et deinceps aceto ſoluta.

e) c. *acido Tartari*,

ſc. Calx merc. per acid. nitri facta, acido tartari ſoluta dat

Mercurium tartariſatum Cl. MONNET et PRESSAVIN.

Tandem habemus etiam

Mercurium alcaliſatum, ſc. cum mercurium neque alcali fixum, neque volatile ſol-

uere poſſit, calx antimonii ſaepius dicta, per acidum nitri parata, ſoluitur per ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum, vulgaris enim non ſatis efficax eſt. Eadem calx mercurii ſoluitur quoque a lixiuio ſanguinis.

Ne omittam quidquam, quod aliqua ratione ad mercurii hiſtoriam pertinet, repetitionis cauſſa hic appono aliam tabulam mercurialium, quam ſupra laudati auctores nobiscum iam olim communicarunt.

Siſtit haec

IV) *Salino-mercurialia correcta*

A) per abſtract. acidi

a) per calcinat.

Merc. corroſ. ruber L.

— *calcinat.* E.

— praecip. *rub.* E.

b) per attract.

α) aquae

Pulv. Principis N. D.,

β) per alcohol

Mercur. corall. L.

Pa-

Panac. Merc. E. 1744.

γ) per aqu. et alcohol

Arcan. Corall. N. D.

Panac. Merc. rubr. N. D.

δ) per camphoram

Pil. e Turpeth, min. Ph. P. E.

Mifta *vnguenta Merc.* c. camph.

c) per attract. et praecip.

α) per alcali fix.

Merc. praecip. fufc. E. 1744.

[Huc pertinet quoque *vnguent* ZELLERI et WERLHOFII ad Scabiem ex mer. praecip. alb. et oleo tartari per deliquum.]

β) per alc. volat.

Merc. praecip. alb. E. et L.

Vnguent. e Merc. praec. L.

γ) per alc. volat. et cupr.

Merc. praecip. virid. E.

B) per addit. Mercurii

a) *Merc. fublim. dulc.* L. E.

*) *Calomel*

**) *Aquila alba.*

b) per addit. Vnguent.
Vnguent. citr. E.
Aliaque vnguenta.
Praeparata ſalino - mercurialia *acria facta*, ſunt
a) per ſolut. praecipit.
Merc. praecip. ſolutus
b) per addit. acidi
Solut. Sublimati, cum acido ſalis
c) per ſuſpenſionem c. ſale ammoniaco
Merc. *corroſ. nitroſus*
*) *Wards* White Drops
Merc. corroſ. muriaticus.
Vltimo demum memoriae cauſſa hic iterum repeto
Mercurialia cum *metallo* quodam vel *ſemimetallo* mixta, et hic occurrunt mixtio mercurii
a) c. Cupro
Merc. praecip. virid.
b) c. Marte
Merc. dulc. mart. Cl. HARTMANNI
c) cum antimonio

Pul-

Puluis IACOBI, ſ.

IAMES POWDER.

ſc. calx duplex ex merc. et antimon. ſimul parata.

Aethiops antim. Huxhami

*) c. Sulph. antim.

Pulv. alter. Plummeri

**) c. Auripigm.

α) *Aethiops, auripigm.*

β) *Merc. ſubl. coloris variegati* ex merc. ſubl. corroſ. et auripigm. v. Apoth. Calender vor 1781. p. 57.

Vix huc pertinet *Merc. praecip. ſolaris* Cl. ASTRVC, vulgo *Panacea* DE LA VIGNE,

non tamen in catalago mercurialium metallicorum omitti poterat.

Sic occurrunt inter praeparata compoſita *Trochiſci* ESCHAROTICI cum *minio* LEMERY, et alia formula Pariſienſium.

De ſingulis illis mercurialibus nunc ſeorſim dicam.

Tra-

Tradam vero seorsim, quae pertinent ad historiam singulorum, praeparationem variam, vsum medicum, et agendi modum, incipiendo a solutione mercurii ope spiritus nitri concentrati. Etenim haec multorum basin constituit, et facillime omnium perficitur. Sed de his omnibus proxima occasione, nam nolo inchoare nunc doctrinam illam, quam absoluere non possem in hoc libello mole paruo.

ERRATA PRAECIPVA.

p. 7. l. 11. lege, praeparatorum.
— — penult. *illo*, l. alio.
p 10. l. 12. leg. *si*.

HISTORIA
MERCVRII
ET
MERCVRIALIVM MEDICA.

LIBELLVS SECVNDVS.

SCRIPSIT

ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER,

SERENISS. PRINCIP. LANDGRAV. HASSO-CASSEL. A CONSIL. AVLAE ET ARCHIATER PRIMARIVS, ILLVSTR. COLLEG. CAROLINI PROF. PRAX. MED. ORD. ET H. T. PRO-RECTOR.

GOETTINGAE,
apud IO. CHRIST. DIETERICH.
1785.

PIIS MANIBVS

FILII DESIDERATISSIMI,

ERNESTI FRIDERICI,

PRIMOGENITI,

ET VLTIMO MORTVI

LVGENS

PATER.

LECTVRIS.

S.

Incredibilis fere, et ſtupenda omnino ignorantia eorum, qui artem medicam exerceat, ex ineptis formulis, quas medicorum turba quotidie ſolet praeſcribere, late patet, vt dubius anceps haeream, num fuit rudes magis in ſtudio chemico-pharmaceutico, an vero in ipſa artis hiſtoria?

Etenim ſi legiſſent, quae in melioribus libris iam dudum annotata ſunt, non peccarent quotidie in formularum praeſcriptione, vt tiro trium dierum in officina pharmaceutica derideat horum ineptas formulas. —

Quadrata rotundis adiiciunt ſaepe, vt lugubre ſit omnino fatum aegrotorum, qui rudes homines pro medicis habent.

Quid ineptius mercurii dulcis connubios cum Tamarindarum Pulpa, aut emulſione, quae continet mercurium dulcem? Minime miſcenda ſunt, quae mixtionem non admittunt, nec aliqua indicatione firma et ſtabili miſceri poſſunt. Princeps cauſſa, cur toties contra artis praecepta hallucinari videamus, qui ſe medicos fingunt, haec eſſe videtur, quod neglexerint in academiis ſtudiis chimico-pharmaceuticum, nec ſciant ſatis, quae ſit indoles medicamentorum chemico-pharmaceuticorum. Non itaque ſuperfluus labor videtur toties prima artis noſtrae praecepta iterum iterumque inculcare tironibus — e quorum numero non pauci Doctoris, immo Profeſſoris titulo ſuperbiunt —

etſi vix locum mereantur in ſubſelliis eruditi Profeſſoris, cui curae cordique eſt, vt ſapere diſcant auditores. Ingens multitudo eſt pharmacorum mercurialium. Sunt efficacia, heroica, ſummaque prudentia adhibenda. Non iuſto enim tempore data, peſſime nocent, horumque effectus tunc iis perfecte ſimiles, qui ab aſſumto veneno ſolent oriri. Sola enim doſis, et applicatio, medicamentum a veneno diſtinguit, omnium conſenſu.

Quae in tot libris, varii paſſim argumenti, paſſim occurrunt, de praeparatis ex mercurio, horumque vſu medico, ea omnia ſedulo in epitomen quondam redegi, vt vno intuitu ſtatim innoteſcat ſingulis, quenam ſit horum mixtio et indoles. Sermo fuit in libello primo et ſecundo de mercurialium indole, ſupereſt, vt in libello tertio exponam praecipua, quae

 vſum

vſum mercurii et mercurialium ſpectant. Scio; medicis eruditis et in artis exercitio iam verſatis, haec omnia non eſſe noua. *Sed ſcopus non fuit* noua *ſcribare, qui nota et notiſſima, tironibus et iunioribus medicis nota facere decreui. Aequi iudices meum inſeruiendi ſtudium diiudicent ex ſcopo. Scrib. Caſſellis d. XIV. Auguſti 1785. Principis Optimi, qui nobis hoc otium fecit.*

E. G. BALDINGER.

PROGR.



PROGR. I.

CASSELLIS, D. VIII. FEBR. MDCCLXXXV.

Scribere coepi ante hos annos tres Gottingae hiſtoriam mercurii et mercurialium medicam, ſed prima pars ſolummodo prodiit, continens pharmaca mercurialia, quae ſola fere mixtione obtinentur, nec non praeparata *ſulphureo-mercurialia*. Quae illo tempore in quatuor programmatibus propoſui, paulo poſt libelli forma recudi curaui. Quae vero ſuperſunt, hac occaſione opportuna pertractare mecum decreui. Praecipuam itaque nunc attentionem merentur *ſalino-mercurialia*, *praecipitata* partim, partim vero *ſublimata*, quorum vſus in medicina et chi-

rurgia

rurgia infignis eft, ad morbos fanandos, potiffimum vero chronicos et rebelles.

Scripfi vero in vfus medicorum praxin ineuntium, epitomen quandam eorum, quae in tot libris fparfim occurrunt; quaeque noftra aetate ignorare debet nemo. Sermo erit de conficiendis fingulis praeparatis, nec non de fingulorum vfu medico-chirurgico. Sed vt facilius pateat, quaenam fint praecipua falino-mercurialia pharmaca, tabulam quandam fynopticam praemittere debui.

Sunt nempe tot *falino-mercurialia*, quot funt mercurii in acido vario folutiones.

Occurrit folutio mercurii in acido

I. *Minerali*,

et quidem

A) *Vitrioli concentrato.* Haec largitur *Turpethum minerale.*

B) *Nitri*, cuius beneficio obtinetur *Mercurius praecipitatus ruber* et *Arcanum Corallinum.*

C) *Salis communis*, cuius ope surgit
Mercurius sublimatus corrosiuus et
Mercurius sublimatus dulcis et
Calomel.
Mercurius praecipitatus albus.
Mercurius dulcis martialis Hartmanni.

II. *Vegetabili.*

A) *Aceti.*
Nascitur mercurius praeparatus Keyseri et *Dauisoni.*
Huc etiam pertinet
Mercurius praecipitatus viridis.
Soluitur nempe mercurius et cuprum in acido nitri, post menstrui euaporationem noua solutio in acido aceti fit.

B) *Tartari.*
Hac ratione paratur
Mercurius Tartarisatus
Cl. *Monnet* et *Pressavin.*

Reliqua salino-mercurialia, rarius aut nunquam in medicina vsitata lubens mitto,

nam

nam chemici potius quam medici attentionem merentur.

De ſingulis vero ſeorſim dicendum eſt. Agmen ducat

I.

Mercurius praecipitatus ruber.

Basilio valentino eius praeparatio iam nota fuit. Paratur autem methodo duplici. Alia longior eſt, alia brevior. Illa, cum mercurius per aliquot menſes igni exponitur, donec ruber appareat, et tunc audit

Mercurius per ſe calcinatus.

Cl. weigelio debentur encheireſes, vt omnium optime obtineatur *a*). Altera methodus eſt; ſoluitur mercurius in acido nitri, poſt menſtrui abſtractionem tam diu exponitur igni, donec ruber euadat. Haec methodus ſola in vſu eſt. Prior enim, ab Alchymicis

a) Chym. min. Abh. T. I. S. 30. Cl. leonhardi in not. ad macqveri Dict. chym. p. III. p. 628.

chymicis excogitata, vana et ſuperflua eſt. Bene ſatis monuit enim Cl. WIEGLEB *b*) nullum eſſe diſcrimen inter praeparatum iſtud, ſiue primam, ſiue alteram methodum elegeris. Idem docuit, perperam iſtud praeparatum appellari calcem, nam calcis dotes non habet *c*). Etenim non amiſit phlogiſton, atque igne ſolo eius reductio chemica iterum perficitur. Acor non ſalinis, ſed igneis debetur particulis. Nulla enim ſuperſunt in hoc praeparato, quod perperam calx appellatur, acidi nitri veſtigia *d*). Solutio mercurii in acido nitri eam ob cauſam eius calcinationi ſolet praemitti, vt igneae particulae mercurio facilius adhaereant. Methodum Amſtelodamenſium in conficiendo prae-

b) Chym. B. 2. p. 448–450.

c) Idem ib.

d) SPIELMANN diſſ. de Hydrarg. *ppt.* effect. §. 6. recuſ. in collect. Cl. WITTWER. Vol. I. p. 185. LEONHARDI, in not. ad MACQVERI Dict. chym. T. III. p. 632.

cipitato rubro, deſcripſit Cl. FERBER *e*). Sed hic repetenda ſunt, quae contra Londinenſes Cl. DOSSIE monuit, qui eadem fere ratione, minime fere optima praecipitatum rubrum parare iubent *f*). Solo igne, ſine additamento, ex mercurio, tam praecipitato albo, quam dulci, modo ſublimatio impediatur, mercurii praecipitati rubri ſpecies gignitur *g*). Sed et ſublimatione quadam miſcelae ex mercurio, nitro et vitriolo obtinetur mercurius praecipitatus ruber. Eſt haec methodus ſatis antiqua, ſcil. ISAACI HOLLAND et KVNCKELII *h*). Origo praeparati non differt a priori. Hac enim operatione globuli mercurii in ſublime rapiuntur, atque particulis igneis impraegnantur.

Vana illa opinio, acrimoniam praecipitati rubri deberi acido nitri mercurio adhaerenti,

e) Neue Beytr. zur Mineralgeſchichte &c. I. B. Mietau 1778. p. 354.
f) Eröfnet. Lond. Laborat. &c.
g) WIEGLEB, l. c. p. 451.
h) Ib. l. c.

renti, ineptam eius correctionem peperit, qua acrimoniam illam salinam abluere studuerunt. LIBAVIVS inuentor dicitur. Partes praecipitati rubri et alcali fixi aequales trituratione miscere solebant, dein aqua abuer, post vero super mercurio aliquoties spiritum vini deflagrare. Princeps causa huius correctionis fuit, vt praeparatum istud mitius fieret.

Arcanum Corallinum a coloris quadam similirudine istud praeparatum appellauit LIBAVIVS, et THEOPHRASTVS PARACELSVS, *mercurium praecipitatum diaphoreticum* i). Superfluus omnino labor est k). Merito itaque ridendi, qui ex ignorantia studii chemici, nostra aetate adeo exculti, nescio quae somniant, de praestantia huius vel illius praeparati, v. c. mercurii, solo igne calcinati, cum ab horum vsu neutiquam virtus specifica exspectanda sit, aut peculiaris quaedam.

Innotuit

i) SPIELMANN Inst. chem. ed. alt. p. 175.
k) WIEGLEB, l. c. p. 450.

Innotuit fraus corrumpendi mercurium praecipitatum rubrum, ſcilicet minio et cinnabari, ſubtiliſſime pulueriſatis. Sed cognoſcitur facile. Etenim mercurius ſuſpectus cum puluere carbonum in crucibulo fuſorio igni exponitur. Plumbi enim reductio de minio addito non dubitare ſinit. Cinnabaris ſi admixta; is fumi forma aufugere ſolet, cum ſuper ferro candente, mercurius praecipitatus ruber igni exponitur.

Antiquitates vſus mercurii praecipitati rubri quot attinet, teſte ASTRVC *l*) iam 1514 IO. DE VIGO interne adhibuit ad luem gallicam ſanandam, immo fuit primum omnium mercurialium, quae contra hunc morbum in vſu fuerunt vnquam. Eodem teſte *m*) ANT. GALLVS 1540 ad mentem VIGONIS adhibuit BOERHAA-

VIVS

l) De morb. ven. ed. alt. p. 165.
m) Ib. p. 692.

VIVS de vſu eius interno et externo, cum ſalutari, tum noxio, multus eſt *n*).

THOM. BARTHOLINVS noxios effectus ab eius vſu externo annotauit *o*). MELCHIOR FRICCIVS *p*) multa collegit de morbis venereis ptyaliſmo ſanatis ope praecipitati rubri.

Corroſivum iſtud medicamentum noſtra aetate ſolummodo externe applicatur, contra verrucas et condylomata, ſiue pulueris, ſiue vnguenti forma. Eſt aliud vnguentum, quod in ophthalmia vehementer laudat BOERHAAVIVS *q*), cuius formula ſequens eſt:

℞. Butyr. non ſalit. ℥jj.
Cerae alb. ℥j.
Merc. praecip. rubr. ʒß.
Opii gr. jj-jjj. miſc.

n) Chem. P. II. ed. Lipſ. 1732. 8vo p. 424.
o) Epiſt. med. Cent. III. 100.
p) In libro rariori, mere quidem compilatitio, ſed vtiliſſimo, de virt. venen. medica, Vlm. 1701. 8vo p. 103.
q) De morb. Oculor. Götting. 1730. 8vo p. 95.

misc. super igne in mortario vitreo vel alabastrino. Includatur linteo raro. Conseruetur in aqua rosarum in loco calido. Quater vel quinquies singulis diebus premitur super oculum, vt eius particula oculum ingrediatur.

Laudat in Lippitudine vsum vnguenti huius Cl. THEDEN r). Vniuersam doctrinam de praecipitatis mercurii, coloris varii pertractauit Cl. SPIELMANN s). De calcibus item mercurii experimenta nobiscum communicauit Cl. BAYEN t) et Cl. CADET u). De vsu vero mercurii calcinati egit nuper Cl. SAVNDERS v).

II.

Mercurius praecipitatus albus.

Mercurius praecipitatus albus recentioris aetatis inuentum videtur, quod IOANNES

HART-

r) Neue Bemerk. u. s. w. p. 192.
s) Chem. ed. alt. p. 243.
t) v. Samml. aus ROZIER B. I. Leipz. 1776. 8vo p. 249.
u) Ib. p. 320.
v) Samml. für pract. Aerzte, B. 3. St. 3. p. 405. sqq.

HARTMANN primus omnium deſcripſiſſe dicitur *a*). Occurrit vero apud Hartmannum ſequens deſcriptio. „*Panacea mercurii albi* „*vulgaris*: mercurius in aqua forti diſſoluitur: „in ſolutionem aqua ſalſa infunditur, vt mer„curius ad fundum praecipitetur. Qui ab „omni ſalſedine liberatus, exhibetur cum te„rebinthina a gr. jv ad x vel xvj."

BARCHVSEN praecipitati albi iam mentionem fecit tanquam medicamenti illo tempore vſitati b). Laudat iam eius vſum internum ad vermes necandos, externe vero in ſcabie, ſerpigine, aliisque faciei puſtulis.

Mirum eſt profecto, tam ſero hoc praeparatum innotuiſſe, cum diu ante notum fuerit iſtud praeparatum quod mercurius ſublimatus corroſiuus appellatur. Etiam non multum differt vnum ab altero, et bene mo-

nente

a) Prax. Chimiatr. Geneu. 1782. 8vo p. 16.
b) Pyroſophia L. B. 1698. 4. p. 187.

nente Cl. MONNET c) ab affuſa maiori quantitate acidi ſalis, loco praecipitati vulgo albi, vera ſpecies ſublimati corroſiui obtinetur. Sola proportione acidi ſalis ad mercurium differt praecipitatus albus a mercurio ſublimato. Paucis repeto antiquam methodum conficiendi mercurium praecipitatum album. Soluitur nempe prius in acido nitri, et tunc admiſcetur ſolutio ſalis communis, aut ſpiritus ſalis, aut ſal ammoniacum. Fit aqua regis, quae ſoluit quidem mercurium, ſed ab affuſa aqua abuitur *d*). De variis mercurii praecipitatis et de albo etiam prolixe olim ſcripſit LEMERY *e*). Methodum nouam Cl. LEMERY docuit, ſcil. ſolutioni ſalis ammoniaci vnciis quatuor in aqua libra integra, adiecit quatuor vncias *mercurii ſublimati*, ſenſimque

c) Act. Suec. Vol. XXXII.

d) BOERH. Chym. T. II. SPIELMANN Chym. p. 295.

e) In Act. Pariſ. vid. Cl. CRELL N. Chym. Arch. B. I. p. 78. et 134.

que admiſcuit alcali fixum ſolutum, ea quantitate, donec praecipitatio abſoluta ſit omnis. Hanc methodum DOSSIE laudat. Haec methodus eſt ablutio mercurii corroſiui, quae abſorbet copiam acidi ſalis communis, vt longe minor ſit ratio acidi ad mercurium, quam in mixtione ſublimati.

De variis praecipitationis mediis egit MACQVER *f*), et recte monuit, vix ſemper ex menſtruo omnem mercurii copiam deiici, cuius partem ſolutam tenet, praecipitatum vero pro vario praecipitationis medio, mox ſalinae, mox calcareae indolis.

Hiſtoriam praecipitati albi Cl. BERGMANN pertractauit *g*). Aliam nuper methodum conficiendi praecipitatum album docuit Cl. WIEGLEB *h*). Soluitur nempe mercurius in

acido

f) l. c. p. 620.

g) Act. Suec. P. 33. et Cl. CRELL chym. Journ. Th. II. S. 210.

h) Primum in Fortg. kl. chym. Abh. v. Apoth. Alm.

acido nitri, admiſcetur ſolutio ſalis ammoniaci, dein oleum tartari per deliquium inſtillatur (cauendone nimium inſtilletur). Praecipitatum edulcoratur, exſiccatur.

Etiam fraude corrumpi ſolet mercurius praecipitatus albus, nam mox adiicitur ceruſſa, terra alba, vel amylon *i*). Ceruſſam prodit ſequens experimentum: Mercurius praecipitatus albus cum parte tertia alcali fixi in crucibulo candente exploratur. Vaporis forma mercurius fugit, remanet plumbum, quod hac ratione reduci ſolet. Alcali cum acido ſalis ſiſtit ſpeciem ſalis digeſtiui febrifugi. Soluitur iſtud ſal, tunc terra admixta aliena remanet. Si amylon admixtum, CARBO remanet, ſi mercurius laminae ferreae candenti imponitur. Vſum *internum* praecipitati albi vehementer laudat BOERHAAVIVS *k*)

inprimis

Alm. 1782. Item in noua ed. Chem. VOGELII p. 616. et nuper in chem. propr. P. II. p. 1319.

i) DOSSIE et BERGMANN l. c.

k) Ed. cit. p. 422.

inprimis contra vermes, ſcabiem, vlcera venerea et alios morbos rebelles chronicos.

Blandam ciere ſaliuationem idem monuit, et SWITENIVS hoc praeparatum mercuriale ad ſaliuationem prae ceteris amauit.

Vnguentum iſtud quod BOERHAAVIVS l. c. laudat, non differt niſi proportione ingredientium ab vnguento ZELLERI vel WERLHOFII *l*), quod in ſcabie, et tinea capitis tuto et cum ſumma euphoria ſolet adhiberi. Ab anno 1774 - 82 Goettingae in inſtituto clinico plus quam trecentum libras praeſcripſimus, infantibus et adultis, nec vnquam malum effectum ab eius vſu animaduerti. Cl. LANGE *m*) admiſto oleo tartari per deliquium mitius reddere voluit praecipitatum album.

III.

Mercurius ſublimatus corroſiuus.

E numero praeparatorum mercurialium hoc omnium antiquiſſimum videtur, et quod

 olim

l) V. KLEIN ſelect. rat. form. p. 318.
m) Miſcell. verit. med. Faſc. I. p. 6.

olim venenum maxime deleterium appellari conſueuit, noſtra inprimis aetate adeo frequenter adhiberi coepit vſibus internis, vt pane, cibo, et bellariis facilius carere poſſint homines, quam illo veneno, necandis muribus aliisque animalibus nociuis olim deſtinato. Tanta eſt rerum viciſſitudo!

Arabes ſuo iam tempore nouiſſe mercurium ſublimatum, teſtimonia multa occurrunt, quae SPIELMANNVS *a*) collegit.

FRICCIVS prolixe egit de vſu ſublimati corroſiui ab omni retro aetate *b*). Alibi ipſe recenſui quae WISEMANN, ZWOELFERVS *c*) et STEPH. BLANCARD *d*), nec non GMELINVS iunior *e*) de ſublimati vſu annotarunt. GMELINVS ſenior ſublimati tanquam empirici

rici

a) In diſſ. cit. de Hydrarg. ppt. int. effect. §. 7.

b) l. c. p. 97. ſqq.

c) Mag. f. Aerzte St. 12.

d) N. Mag. f. Aerzte, B. 1. St. 6.

e) Mag. f. Aerzte, St. 10.

rici medicamenti in Sibiria meminit *f*). Historiam antiquitatis mercurii ſublimati in hiſtoria pharmaciae expoſuit Cl. RETZIVS *g*). Antiquam Venetorum methodum parandi ſublimatum corroſiuum narrauit TACHENIVS *h*). Recentior Amſtelodamenſium methodus deſcripta legitur apud Cl. FERBER *i*).

Sunt vero mercurium ſublimatum conficiendi plures methodi. Vulgo mercurius ſoluitur in acido nitri, et acidum iterum abſtrahitur deſtillatione. Edulcorato mercurio admiſcentur vitriolum ad flavedinem calcinatum, nec non ſal commune decrepitatum. Sublimatio in cucurbita vitrea inſtitui ſolet. Remanet ſal mirabile Glauberi.

Acidum ſalis communis melius agit in mercurium, ſi prius in acido nitri ſolutus.

 Vitrio-

f) In hiſt. itiner. P. I. p. 148.
g) Act. Hafn. T. I. p. 113. ſqq.
h) Hipp. chym. p. 215.
i) l. c. p. 348.

Vitriolum expellit acidum ſalis: vnde haec tria acida, quae ſimul adhiberi ſolent, ſolummodo efficiunt, vt facilius ſalis communis acidum coeat cum mercurio.

Sed iam olim LEMERY ex ſolo mercurio et dupla portione ſalis communis decrepitati obtinuit mercurium ſublimatum *k*).

Etiam mercurius praecipitatus ruber et ſal commune, aut ſpiritus ſalis communis, largiri ſolent mercurium ſublimatum. Alia ratione DOSSIE *l*) ex mercurio, ſale communi, et vitriolo calcinato, vel oleo vitrioli mercurium ſublimatum parare docuit. Mercurii in acido nitri ſoluti partem vnam, vitrioli ad albedinem calcinati partes 2. et ſalis decrepitati partem vnam ex balneo arenae

ſubli-

k) Hiſt. de l'Ac. de Soc. de Paris 1709. et Cl. CRELL N. chem. Ann. B. 1. p. 25.

l) Methodus fuit KVNCKELII et Cl. BOVLDVC Mem. de l'Ac. des ſc. de Paris 1730.

ſublimare iubet ERXLEBEN *m*). Plura qui ſcire cupit, euoluat Cl. MACQVER l. c. *n*). Etenim mihi ſufficit generatim indicaſſe phaenomenorum rationes. De vnione mercurii cum acido ſalis, huc pertinent, quae C. BERGMANN docuit *o*).

Sed noua methodo mercurium ſublimatum ſine igne nuper docuit elaborare Cl. MONNET *p*), eaque ſimpliciſſima. Solutioni nempe mercurii in acido nitri calidae admiſcetur ſolutio ſalis communis. Acidum nitri cum alcali ſalis communis largitur nitrum cubicum, et acidi ſalis cum mercurio connubium largitur mercurium ſublimatum. Mitto, quae alii de proportione acidi ad mercurium habent

m) Chem. ed. alt. a Cl. WIEGLEB emendata §. 503.

n) B. V. p. 242. ſqq.

o) Schwed. Abh. B. 32. et CRELL ch. Journ. II. S. 169.

p) Schwed. Abh. B. 32. vor 1770. et CRELL ch. Journ. II. p. 171. nec non Apoth. Almanach 1781. p. 30. RETZII addit. ſchwed. Abh. B. 32.

habent, nam ſufficit legiſſe, quae nuper de eodem argumento Cl. SCOPOLI diſputauit q), quae docent, hoc praeparatum non ſemper vnius eiusdemque indolis eſſe. Proportio enim acidi ad mercurium varia eſt; et maxime corroſiuus mercurius is eſt, qui maximam copiam acidi continet, quae cum mercurio iuncta.

Quae ſint antidota acerrimi huius veneni, ſingulari ſtudio explorauit Cl. NAVIER r). Fuit a ſeculo nono mercurius ſublimatus corroſiuus in vſu, et ſec. XVI. mature adhiberi coepit contra luem gallicam, diuque manſit empiricorum et chirurgorum princeps medicamentum, quod medici minus audaces, rarius adhibuerint. Fuit tamen ante BOERHAAVII tempora etiam medicis in vſu, quod teſtantur ſcripta BLANCARDI, ZWOELFFERI, WISEMANNI et aliorum. Nec ipſe BOERHAAVIVS

q) CRELL chym. Annalen, B. I. St. 1. 1784.

r) Gegengifte des Arſenics, ſublima*s u. ſ. w. ex Gallico c. annot. per C. E. WEIGEL I. B. Greifsw. 1784. 4to min.

HAAVIVS ignorauit *fublimati vfum internum s*), ait enim, drachma miflurae, gr. j. in aquae vncia, fyropo violaceo mitificatus, fi potatur bis, terne, in die, mira praeftat in morbis incurabilibus. At prudenter, a prudente medico; abftine fi methodum nefcis! Sed RIBEIRA SANCHEZ hoc faeculo vfum mercurii fublimati denuo reftituit. Ille enim PHILIPPO FRID. GMELIN contra cancrum commendauit *t*), et SWITENIO contra luem gallicam *u*). Ab eo vero tempore frequenter adhiberi coepit mercurius fublimatus, et a multis in variis morbis praeter luem gallicam laudatus fuit, quorum omnium mentionem fecit Cl. BOEHM. *v*). Nemo autem magis laudauit mercurium fublimatum quam Cl.

GARDA-

s) Chem. P. II. p. 427.

t) V. GMELIN diff. fpecif. meth. recent. cancrum fanand. Tub. 1757. praefat.

u) Comment. in Aph. &c. L. B. 1772. p. 550.

v) In diff. de varia fyphilidis Therapia, recuf. in fylloge mea, nec non in Cl. WITWER, collect. diff. Argent.

GARDANE *w*). Mercurium ſublimatum mercatorum fraude arſenico albo contaminari, conſentiunt SPIELMANN *x*), DOSSIE *y*), GAERTNER *z*) et WALBAVM *a*). Duo ſunt inprimis criteria, quibus fraudem cognoſci poſſe affirmarunt, odor ſcilicet mercurii cum arſenico mixti alliaceus *b*), ſi prunis inſpergitur, et praecipitatio, ſiue per oleum tartari per deliquium, ſeu aliud alcali fixum *c*) immo etiam per alcali volatile *d*) quod tunc nigrum euadat praecipitatum.

Et habitu externo genuinum ſublimatum a ſpurio diſtingui poſſe, Cl. GOTTLING monuit

w) Ex gallico eius liber germ. prodiit Aug. Vind. 1771. 8vo ſed male, Praeſtat noua verſio, Sorau 1777. 8vo.

x) Chem. p. 239.

y) Im eröfneten Laboratorio.

z) In diſſ. cit.

a) Verzeichniſs einer vollſtänd. Apotheke, Leipz. 1769. ſqq. Tab.

b) SPIELMANN l. c.

c) DOSSIE.

d) GAERTNER et SPIELMANN l. l. cit.

nuit *e*), item aquam calcis certum ſiſtere criterium, affirmauit, nam prouocat ad colorem aurantium praecipitati, quod per aquam calcis obtinetur. Quae monenda deinceps videbimus. Nouo experimento confirmatum legitur, mercurium ſublimatum et arſenicum album noua ſublimatione poſſe combinari *f*), ſimul vero exploratio mercurii ſublimati per oleum tartari confirmatur, per aquam calcis vero dubia redditur. Poſt haec Cl. BÜCKING varia communicauit *g*), quae docent, diu iamiam adulterium ſublimati cum arſenico notum fuiſſe, et BARCHVSENIVM criterium per oleum tartari ſuo iam tempore dubium declaraſſe, et poſtea Cl. BOVLDVC nouis experimentis dubium reddidiſſe. Locum BARCHVSENII allegaſſe non poenitebit. Ille ait *h*): „*Miror*, cum maxime plerosque chemiae „auctores

e) Apoth. Alm. v. 1782. p. 149.

f) Apoth. Alm. v. 1783. p. 184.

g) N. Mag. für Aerzte, B. VI. St. I. p. 65.

h) Pyroſophia, L. B. 1698. 4to p. 194.

„auctores scribillantes, mercurium subl. falsi-„ficatum dignosci posse, si ei olei tartari per „destillationem facti, gutta vna et altera su-„perinstilletur, quodsi rubesceret, bonae in-„dolis, pessimae autem, cum nigresceret. „Verum omnis ferme corrosiuus, quantum-„uis optimus, primo flauam, post rubram, „et si diutius aëri exponatur, quadantenus „nigram contrahit maculam, quae haud qua-„quam ab arsenico proficiscitur. Arsenico „namque si adfunditur, nescio quotquot salis „tartari resoluti, non efferuescunt iugiter, et „ne minima quidem coloris albidi fit in alium „conuersio. Ergo hyberbolen sapiunt, opi-„nantes a macula illa fusca mercurio ab oleo „tartari impraegnata, ferre iudicium quem „posse adulterati mercurii corrosiui."

Ad ea, quae Cl. BVECKING l. c. monuit, Cl. GOTTLING loco infra citato, nonnulla regessit *i*) concedere tamen coactus fuit, non sufficere criterium per aquam calcis.

Dosis

i) Apoth. Alm. 1785. p. 193.

Eſt vero mercurius reſoluentium medicamentorum princeps, mars autem inter roborantia primarium occupat locum.

Contraria itaque medicina hic combinatur, et ſapienti quidem conſilio. Etenim ſaepius in artis exercitio praeſtat, contrariam indicationem combinare, omnium conſenſu.

Interdum vis nimia reſoluens mercurii pertimeſcenda eſt, interdum debilia ſunt aegrotorum corpora, vt de conſeruando augendoque robore, immo coërcenda reſolutione humorum a mercurio, cogitandum ſit, illaque mixta indicatio poſcat medicamentum eum reſoluens, tum roborans ſimul, cui ſatisfacere videtur martis cum mercurio connubium. De hoc argumento doctiſſime olim iamiam diſputauit laudatus Cl. HARTMANN *g*) et nuper Cl. NOSE *h*).

Aliam

g) In diſſ. qua martis cum mercurio coniunctionem vſibus practicis commendat. Hal. 1756.

h) Ueber die Behandlung des veneriſchen Uebels. Augſp. 1780. 8vo.

Aliam ob caussam b. HIRSCHEL martis vsum commendat iis, qui mercurium sumunt, nimirum vt prohibeat, saltim minuat ptyalismum *i*).

Et haec quidem sunt, quae de mercurii cum marte connubio innotuerunt.

Sequitur

Turpethum minerale,

seu Mercurius praecipitatus flauus.

Occurrit minera hydrargyri passim acido vitrioli impraegnata, seu *Turpethum minerale natiuum ii).* Sed cum haec inter pharmaca locum

i) Briefe über versch. Gegenstände aus der A. W. Erster Th. Berl. 1768. 8. III. Brief.

ii) v. WOVLFF, experiments &c. in Phil. Transact. Vol. 66. P. II. N. 43. et *seorsim* Lond. 1777. 4to Germ. **Peter Wolf,** Versuche über die innere Mischung einiger Mineralien u. s. w. Leipz. 1778. gr. 8vo. Cl. SVCKOW (iam Prof. Heidelb.) Mineralogische Beschreibung des mineralischen Turpeths u. s. w. Manheim 1782. 8vo. Celeb. BAVMER (Prof. Primar. Giessens.) Progr. Historia mercurii cornei Hassiaci &c. Giess. 1785.

locum non inuenire possit, mitto nunc hoc memorabile inuentum, nuper demum factum.

Turpethum artefactum, quod solum in medicina vsitatum, BASILIO VALENTINO iam notum fuisse, perhibent *k*), deinde vero ab OSWALDO CROLL clare descriptum *l*). Aliam methodum parandi Cl. POTT tradidit *m*), quae vilori pretio et ob rationes chymicas se commendat. Quod vero optimam conficiendi rationem spectat, illam nuper exactius tradiderunt viri Cl. BAVME *n*) et MACQVER *o*). Momenta praecipua haec sunt: mercurius viuus solui debet in acido vitrioli *concentrato*, igne simul feruido adhibito, et larga debet esse

k) Ita b. SPIELM. Chym. ed. alt. p. 157. et in diss. saep. cit. de hydrarg. ppt. int. effect. ap. Cl. WITWER, Vol. I. p. 184.

l) Basilic. chym. p. 205.

m) Miscell. Berolinens. T. V. p. 91.

n) Ert. exp. Chym. Th. II. p. 443. sqq.

o) Chym. Wörterb. Th. II. p. 624. et Th. IV. p. 346. prolixe.

eſſe portio olei vitrioli, non tamen nimia et ſuperflua. Deſtillationis ope tunc abſtrahatur acidum ad ſiccitatem usque, igne aucto, vt vero calx mercurii obtineatur. Edulcoratio tunc aqua feruida toties repetenda eſt, donec aqua affuſa ſit prorſus inſipida. Tunc demum affirmari poteſt, mercurium ab omni adhaerente acido vitrioli prorſus liberatum eſſe, ſalisque omnis expertem, — vt contra Cl. ROVELLE bene monuit Cl. BAVME, qui credidit Turpethum eſſe verum ſal medium *p*). Etenim experimenta, quae Cl. BAVME cum probe edulcerato Turpetho inſtituit, docuerunt, ab omni acido prorſus eſſe purgatum. Errauit itaque b. SPIELMANN *q*) qui affirmat, in hoc praeparato decenter edulcorato acidum vitriolicum *vnam*, mercurium *quatuor* partes abſoluere.

Vſum medicum quod attinet Turpethi, ab antiquiſſimis inde temporibus contra luem galli-

p) l. c. p. 449.
q) Diſſ. cit. l. cit. p. 184.

gallicam ceu praestantissimum medicamentum laudatum fuit. Sic lego apud BASILIVM VALENTINVM r) „Vitriolum mercurii, „in einem aqua fort aus Salpeter und Alaun „destilliret, so er darinnen solviret wird, so „schiessen Crystallen einem Vitriol ganz gleich. „Dasselbe wieder abluiret, und mit Spiritu „Vini, so zuvor mit seinem Sale Tartari re„ctificirt, alsdenn purificirt und zum süssen „Oel gemacht — ist eine edle Medicin ad „luem gallicam — curirt alte Schäden — „die Gicht, und viel Krankheiten — Eodem „loco ait quoque BASILIVS VALENTINVS: " Dieses Oel adjungiret man auch den martialischen Tincturen — vt pateat, iam antiquissimis temporibus notum fuisse turpethum. Multa colligit BOERHAAVIVS s) de Turpethi vsu, cuius ope PARACELSVS miracula praestitit, quod SYDENHAMVS in Tr. de lue

r) Schlußreden. Ed. Hamburg 1700. 8vo p. 378.
s) Chem. l. c. p. 428.

venerea in morbis maxime rebellibus laudat, BOYLE ceu Ptarmicum parciſſima doſi dedit, eiusque vſu cataractas ſanauit, Femina quaedam, Pariſiis declamatos reſtituit. In hydrope et tabe venerea ipſe BOERHAAVIVS laudat.

Retulit amicus, b. GAVBIVM matronam quandam hydrope pectoris deſperato laborantem, turpethi vſu perfecte ſanaſſe. Doſi vero parua exhiberi debet, cum ſit medicina draſtica, ſic quidem, vt quarta pars grani vnius vna vice ſumatur. Recentiori tempore ROBERT IAMES, medicus in Anglia celeberrimus, in Hydrophobia dedit Turpethum minerale. Scripſit ille libellum *Cure of the Bite of mad Dogs*, et alterum: *on canine Madneſs* t). Monet autem IAMES, corporibus ſiccis turpethum nocere, phlegmaticis melius conducere.

Veſperi dedit turpethum a tribus granis ad octo, camphorae totidem, cum ſyrupo quodam

t) Vid. quoque IAMES in Abridgm. of the philoſ. transact. Vol. LX. p. 218.

quodam boli forma. Altera die repetiit eandem dosin — deinde post duarum dierum interuallum. Abstinuit ab hoc remedio, imminente saliuatione, donec haec iterum cessaret: vulneri simul applicuit drachmam vnguenti et vltra, ex aequalibus mercurii et pinguedinis partibus — Post duas, tres dies, si effectus saliuationis nulli, balneum frigidum quotidie adhibuit. — Tunc tres denuo doses turpethi, sed minores, ad duo vel tria grana dedit, balneaque repetiit. Eandem methodum tribus vel quatuor periodis lunae redeuntibus adhibuit. Vult, sic praecaueri in homine et brutis, morbum posse, nisi quod brutis largiores doses remedii sint exhibendae. Si vero morbus iam ingruit, inunctiones augendas esse, atque turpethi dosin sine temporis iactura offerendam esse etc.

Werlhofii pilulae contra hydrophobiam recipiunt cantharidum gr. j. Turpethi gr. dimidium, Camphorae grana decem, et cum mucilagine Tragacanthae haec in pilu-

 larum

larum formam omnia redigenda. Per integras ſeptimanas ſex WERLHOFIVS has pilulas dedit, ſimulque cauterium, cucurbitulas, et vnguentum mercuriale adhibuit.

Cl. LAYARD monet *u*) in corporibus irritabilibus, et ſpasmo iam affectis non conducere turpethum, cum irritatio, quae eius effectus eſt, ſemper noceat.

Cl. DARLVC eadem methodo qua Cl. IAMES *v*) vſus eſt. Nolo hic omnes nominare, quorum ASTRVC mentionem fecit, qui Sec. XVI. turpethum in morbo gallico dederunt.

Mercurii in acido vegetabili ſolutio praeparata, hodie vſitata.

Quis ſit ſcopus ſcriptionis noſtrae, aliquoties dixi iamiam. Epitomen ſcilicet mercurialium ſcribere coepi, in vſum medicorum

u) Eſſay on the bite of mad Dog. Lond. 1762. 8vo.

v) v. VANDERMONDE, Journ. de la med. Vol. III.

eorum praxin ineuntium, et eorum, qui in academiis ſtudium pharmaceutico-chymicum neglexerunt, vt pateat, quae hodie in vſu ſint pharmaca, mercurialia varia, et qua ratione conficienda ſint, ſubiunctis nonnullis de horum vſu veroque pretio.

Nimis itaque ab inſtituto meo foret alienum, ſi ſingulas mercurii ſolutiones in acido vario ſeorſim pertractare vellem, quae nondum inter pharmaca vſitata locum inuenerunt. Mitto itaque ſolutiones mercurii in acido phosphori, ſpathi, ſalis ſedatiui, ſuccini, ſalis acetoſellae, ſacchari, citri, formicarum, et quae ſunt reliqua, de quibus notatu digna annotauit Cl. MACQVER. Solummodo itaque ſermo eſto de ſolutione mercurii in *acido aceti* et *acido tartari*, quarum vſus nuper in medicina frequens fieri coepit.

Nouum non eſt, encheireſi adhibita, mercurium in acido vegetabili ſolui poſſe. SPIELMANNVS

MANNVS *a*) plurium auctorum mentionem fecit, quibus artificium iſtud notum erat, quique in lue gallica mercurii ſolutiones in acido vegetabili iam olim laudarunt. E primis omnino PENOTVS *b*) fuiſſe videtur, poſt hunc vero ANT. MVSA BRASSAVOLA. Morbum Neapolitanum pellit, et alia mirabilia praeſtat, PENOTO teſte.

Aliqua etiam de mercurii ſolutione in acido vegetabili habet Cl. FERBER *c*), inprimis vero de terra foliata mercuriali, quam pharmacopola Pariſinus FOVRCY parare ſolet.

a) In Diſſ. de hydrarg. ppt. effect. ap. Cl. WITTWER, p. 190.

b) Habeo coram, auctore PENOTO, Tr. var. de vera praeparatione et vſu med. chym. ed. tert. Vrſellis 1602. 8vo. Extat integer proceſſus p. 34. Hunc locum exſcripſit VON HORNE, von verſchiedenen Methoden das Queckſilber in veneriſchen Krankheiten zu gebrauchen, &c. Leipz. 1782. 8vo. Sed Doſin omiſit. Granum vnum exhibetur in vino, ait PENOTVS. Exhibetur autem ter in ſeptimana.

c) Neue Beyträge zur Mineralgeſch. ſaep. cit. p. 353.

let. Hoc demum ſeculo quaeſtio ſaepius iterum mota fuit, nam praeſtat mercurio in acido vegetabili ſoluto vti? Diriſſima enim luis ſymptomata, non luis ipſius ſymptomata, ſed potius mercurialium adhibitorum eſſe, non pauci affirmarunt. Crediderunt itaque acidum ſalis inprimis peſſime nocere aegrotis, maxime vero oſſibus, quibus hoc acidum infenſum eſt, atque mitius agere mercurium cum acido vegetabili.

Nullum medicamentum recentiori aetate tantam famam ſibi acquiſiuit, quam pilulae KEISERI *d*), quarum princeps ingrediens mercurius acido aceti impraegnatus. Scripſit integram diſſ. Cl. DAVISON, de ſolutione mercurii viui in acido vegetabili, eiusdemque

d) De his vide Hannov. Magaz. 98. St. 1765. et RICH. DE HAVTESIERCK Rec. d'obſſ. de Med. etc. T. II. Paris 1772. 4to. et germ. in Samml. auserleſener Abh. zum Gebrauche practiſcher Aerzte. Drittes St. Leipz. 1775. gr. 8vo S. 152. ſeq. MACQVER l. c. B. 4. p. 197. VON HORNE, l. c. p. 83. ſqq.

que vſu. L. B. 1767. Sed voti non particeps fieri potui, vt liceret oculis vſurpare hanc diſſertationem, etſi ſaepius amicos rogarem in terris belgicis ipſis, vt quouis pretio, ſiue exemplar, ſiue copiam eius mecum communicare velint. Occurrunt vero mercurii in acido vegetabili ſoluti ſpecies vna et altera tantum, quae nuper in praxi medica laudatae fuerunt, nimirum.

1) *Mercurius in acido aceti ſolutus.*

Huc pertinent pilulae KAYSERI, de quibus iam dixi.

Encheireſes circa mercurii in acido aceti deſtillati ſolutionem obſeruandas tradidit BAVMÉ *e*) et MACQVER *f*).

Mercurium per ſe calcinatum in aceto ſolui, STAHLIO non ignotum fuit, viro in chemia peritiſſimo *g*).

Facile

e) l. c. Th. II. p. 503. ſqq.

f) l. c. Th. II. p. 124. et Th. IV. p. 164. ſqq. cf. ſimul NAVIER l. c.

g) v. MACQVER l. c. Th. II. p. 124.

Facile autem ſoluitur calx mercurii ope acidi nitri facta, et per alcali praecipitata, in aceto *h*).

2) *Mercurius in acido tartari ſolutus.*

Nominandi veniunt MONNET *i*) et PRESSAVIN *k*), qui hoc ſeculo iſtud praeparatum prae ceteris laudarunt. Varia etiam tentamina inſtituerunt viri Cl. NAVIER *l*) et Cl. MACQVER *m*) cum mercurio et acido tartari. Sed omnino laus huius medicamenti fuit nimia, quod prolixiori ſermone inprimis demonſtratum dedit VON HORNE *n*). Negari quidem

h) MACQVER Th. IV. p. 164.

i) Miſc. Taurinenſ. T. IV. Melange de Philoſ. &c. de Soc. R. de Turin et germ. im neuen Hamb. Magazin B. 16. S. 429. in Epitome MACQVER Th. IV. p. 230.

k) Tr. des maladies veneriennes dans lequel on indique un nouveau remede pour le guerir. Paris 1773. v. et Cl. GRVNER Auszüge B. 2. p. 59.

l) l. c. Recenſita quaque leguntur apud ap. Cl. MACQVER Th. IV. p. 228. 9.

m) Th. IV. p. 227. ſqq.

n) Abh. von den verſchiedenen Methoden das Queckſilber in den veneriſchen Krankheiten zu brauchen, Leipz. 1782. 8. p. 156.

quidem nequit, idem praeparatum v. c. Mercurium acido tartari impraegnatum, varia methodo elaboratum, diuerſis gaudere qualitatibus *o*), ſed num iſtud diſcrimen ſit tanti momenti, vt effectus in miaſmatae corrigendo ſit maior dubia res manet. Nuperrime Cl. MATTHIEV *p*) in hydrophobia Turpethi mineralis grana octo exhibuit per aliquot dies, cuius vim draſticam aceto corrigere allaborauit.

Huc etiam pertinet ſolutio mercurii et cupri in aceto, quod praeparatam perperam audit

Mercurius praecipitatus viridis.

Seorſim ſoluuntur in acido nitri mercurii partes quatuor, et cupri pars vna in eodem acido, et euaporatione ac calcinatione menſtruum abſtrahitur, deinde vero in aceto deſtillato

o) MACQVER l. c. Th. IV. p. 233. monente Cl. LEONHARD.

p) Hiſt. de la Soc. R. de med. A. 1779. Par. 1782. 4. ſimul externe adhibuit vnguentum mercuriale.

ſtillato ſolui debent haec metalla, et euaporatione ad ſiccam conſiſtentiam redigenda ſunt q) LEMERY huius praeparati iam mentionem fecit r).

Laudat ille hoc praeparatum tam interne, quam externe in gonorrhoea maligna inueterata, contra bubones et condylomata. Interna doſis grana ſex, forma pilularum vel boli. Perperam dici praecipitatum, iam monet LEMERY, qui de vſu etiam multa adiecit.

Mercurius in Alcali ſolutus.

Mercurium in alcali ſolutum ad luem ſanandam paſſim commendatum legimus s). Fuit autem ratio haec. Quum acida mineralia, quale acidum ſalis communis, corpori humano ſint inimica, maxime oſſibus ipſis, vt metuenda ſit ex nimia copia huius acidi in

q) MACQVER l. c. Th. III. p. 635.
r) Cours de Chymie, germ. ex noua ed. gallica, Dresd. 1698. 8. p. 342. ſqq.
s) SPIELMANN in diſſ. cit. §. 9. ap. Cl. WITWER l. c. p. 192.

in corpus ingesti, ossium corrosiuo, aliud quaesiuerunt menstruum, quod mitius ageret, nec adeo corrosiuum.

Varia symptomata luis tamquam effectus mercurialium adhibitorum non pauci considerarunt, qua de re LVDOLFVS integram scripsit dissertationem *t*).

Idem itaque mercurium cum alcali solutum ceu tutum specificum antiuenereum commendat *u*). Sed de solutione mercurii in alcali monendum, quod de eius solutione in acido vegetabili iam dictum fuit, scilicet per se vix solui mercurium ab alcali, tam fixo, quam volatili *v*), sed solutionem in acido minerali ab alcali affuso deiici, mox vero ab alcali

t) Demonstratio, quod atrocissima luis venereae symptomata non sint effectus morbi, sed curae mercurialibus institutae. Erford. 1747.

u) Diss. de mercurio per alcali soluto tutissimo specifico antiuenereo. Erford. 1747.

v) BAVMÉ l. c. Th. II. p. 507. MACQVER, l. c. T. IV. p. 162. in annot. Cl. LEONHARD.

Dosis, qua mercurius sublimatus in medicorum libris praescribitur, non eadem fuit omni tempore, sed admodum varia; saepe magna et vix imitanda. Nec menstruum semper idem fuit. Formula Cl. SANCHEZ iubet spiritum frumenti eligere, alii spiritum vini, alii spiritum sacchari et aquam *k*), alii aquam solam, v. c. BLANCARD et TVRNER *l*).

BLANCARDI formula maximam continet mercurii copiam, scil. drachmam integram in aquae communis vnciis viginti solutam. Dosis erat diebus alternis cochlear vnum.

BOERHAAVII dosis erat $\frac{1}{4}$ grani, SANCHEZ et SWIETEN gr. vj. in ℔. j. spiritus frumenti soluere iubent.

BIERCHEN combinauit formulam SWIETENII et PLENCKII simul *m*), nempe

k) DVBOSQ de la ROBARDIERE, v. Gött. Anz. 105. St. 1777.

l) Syphilis, p. 99.

m) Vid. ROSENSTEIN in libro notissimo.

nempe grana vj. ſublimati cum drachmis duabus mercurii gummoſi in decem vnciis menſtrui, aqua ſcil. fontan. vjjj. et cinnam. jj. vnciis, — ſyrupi Alth. vncias duas addit. ROSENSTEINIO haec compoſitio magis placuit, quam ipſe mercurius dulcis. Minor certe menſtrui copia in hac formula ſufficit. Solutionem aquoſam praeſtare Cl. CRELL *n*) teſtatur.

Pilulae IACOBI decem continent granum vnum mercurii ſublimati in aqua ſoluti, et tres vna vice, mane, veſperi propinantur.

Sed plura exempla docuerunt, has pilulas ſero interdum non ſolutas vomitu iterum eiici.

Iam ſufficiat generatim egiſſe de mercurio ſublimato, nam ſuo loco de mercurialium vario vſu medico ſeorſim dicam.

Sed de

Aqua Phagedaenica (Φαγεδαίνικα

hic

n) Mag. v. Aerzte, St. 7.

hic quaedam annotanda ſunt. Ad vlcera antiqua, inſanabilia, vulgo adhiberi ſolet. LEMERY ſublimati drachmam dimidiam in libra integra aquae calcis ſolvere iubet *o*). Idem medicamentum externum appellatur etiam

Aqua diuina Fernelii,

et, ſi aloes drachmae ſex, mellis vncia et dimidia admiſcentur, audit

Aqua mercurialis Zwoelfferi.

MOSES CHARAS *p*) aquam phagedaenicam miſcet ex aquae calcis libris tribus, ſpiritus vini rectificati libra dimidia, et mercurii ſublimati corroſiui vncia dimidia. Sed addit: „haec proportio ſtricto iure non ob„ſeruanda eſt, ſed huius vel illius minor aut „maior doſis fieri poſſit."

Pharmacopoea Wirtembergica, quam nunc a ſordibus et quisquiliis purgabit Cl. WIEG-

o) Cours de Chymie.
p) Pharm. reg. Geneu. 1684. Tom. II. p. 204.

WIEGLEB, ad libram vnam calcis viuae ſumit drachmam vnam mercurii. Optime vero Cl. CRELLIVS, aquam phagedaenicam conſiderandam eſſe aut tanquam aquam calcis, aut tanquam calcem mercurii, et vltimum ſolummodo locum habere. Etenim quantum calcis in aqua ſoluitur, tantum mercurii decomponitur, propter acidi cum calce affinitatem. Ea itaque portio calcis metallicae praecipitatur.

Melius itaque, mercurium ſublimatum pro vſu externo in aqua ſoluere, nam aqua calcis non ſemper ſibi ſimilis.

IV.

Mercurius dulcis. Calomel.

Quis primus omnium huius medicamenti meminerit, definire vix audeo. Neutiquam vero, vt vult SPIELMANNVS, aenigmatice de illo ſcripſit CROLLIVS *a*), qui ſcilicet huius medi-

a) Baſilica chym. Geneu. 1658. 8vo p. 66.

medicamenti minime auctor habendus est, quod QVERCETANO et BEGVINO antea iamiam notum. Hoc certum est, recentiori tempore mercurium dulcem fuisse inuentum, cum a saeculo IX. inde mercurius sublimatus corrosiuus iam notus et in vsu, dulcis vero ni fallor, vix ante QVERCETANVM *b*). Vtrumque praeparatum est mercurius acido salis communis impraegnatus, sed proportio differt. — Si mercurius maximam partem acidi continet, corrosiuus est — *Draco Volans*. Si maxima copia mercurii, minima acidi, tunc appellatur comparatiue dulcis. Ea tamen fit proportio, vt salis dotes habeat mercurius. Antiqua methodo mercurius sublimatus corrosiuus, et copia mercurii viui trituratione miscebantur, et haec miscela noua sublimatione, eaque repetita, arctius iungi debebat, vt acidum magis iners fieret.

Proportionem mercurii sublimati et viui variam in variis libris praescriptam legimus.

 Subli-

b) QVERCETANVS rediuiu. a IO, SCHROEDER, Frft, 1644. 4to p. 656.

Sublimati plerumque pars vna, viui partes tres. Sed bene monet Cl. LEONHARDI *c*) pro varia bonitate mercurii corroſiui maiorem vel minorem copiam mercurii viui adiiciendam eſſe, donec globuli mercurii viui prorſus diſpareant.

Criteria mercurii dulcis genuini haec ſunt, vt ſit ſaporis expers, vt nihil in aqua ſolubile ſit, quod per oleum tartari per deliquium, vel alcali volatile praecipitetur.

Caſomel ſplendet et in lamellas diuidi poteſt. De aliis criteriis vid. Cl. LEONHARDI in not. ad MACQVER Dict. *d*). Aliud criterium mercurii dulcis genuini commendat Cl. WIEGLEB *e*). Miſcentur partes aequales mercurii dulcis et alcali fixi, nec non exigua portio pulueris carbonum. Haec cupro fuſo in crucibulo addita, ſi cupri colorem non mutant, mercurius dulcis genuinus eſt.

Alia


c) Nota ad MACQVER Dict. P. IV. p. 203.
d) P. IV. p. 209.
e) Apoth. Alm. 1785. p. 197.

Alia methodus mercurium dulcem conficiendi a Cl. CORNETTE propoſita legitur *f*) ex mercurio viuo et calce mercurii in acido nitri ſoluti et per alcali praecipitati.

Alia proportio miſcendorum largitur mercurium ſublimatum corroſiuum, alia vero, dulcem, ſcil. ſi dupla portio mercurii eligitur *g*). Ex mercurio ſublimato loto et dein iterum ſublimato Cl. DESAIVE mercurium dulcem elaborare praecepit.

Amſtelodamenſium methodum deſcripſit Cl. FERBER *h*), Si methodo vulgari ex miſcela mercurii ſublimati & viui, noua ſublimatione, dulcis elaboratur, encheireſis vna et altera non erit ſuperflua. Et primo quidem trituratio minori periculo perficitur, ſi aqua humectantur. Sublimatio igne non nimis violento debet abſolui, ne ſublimatum nigreſcat.

f) V. CRELL ch. Journ. Th. V. p. 138.
g) SPIELMANN Chym. 237.
h) l. c. pag. 352.



Vaſa vitrea, dum ſublimatio ſuſcipitur, non obturanda ſunt, niſi prius omnis aqua iterum expulſa. Sublimatio ſaepius inſtitui ſolet, vt eo melius perficiatur mercurii cum acido ſalis vnio.

Sed aliquando prima ſublimatio iam exhibuit mercurium dulcem optimae notae, teſte POERNERO *i*). SPIELMANNVS ait *k*) ſicuti haud videmus, quid iteratae ſublimationes in euehendis mercurii dulcibus viribus queant praeſtare; ita miramur, Chemicos Hydrargyrum, quod dulce deſiderant, demum ex corroſiuo parare, et non ſtatim acido ſalis adiicere omnem mercurii quantitatem, quam poteſt recipere.

Mercurium dulcem ſexies ſublimatum appellarunt *Calomel*, et nouem vicibus repetitis ſublimatum *Panaceam mercurialem*.

Vnica

i) V. et MACQVER l. c. p. 203.

k) In diſſ. de Hydrarg. ppt. int. effect. §. 7. Collect. Cl. WITW. p. 190.

Vnica ſublimatione BAILLEAV iam olim mercurium dulcem praeparare docuit *m*). Bene docuit Cl. BAVMÈ *n*) nimis repetitam ſublimationem mercurium dulcem iterum corroſiuum reddere, nam quauis repetita ſublimatione aliqua copia mercurii volatilis redditur et aufugere ſolet, vnde acrimonia iterum augetur.

Cum nec repetita ſublimatio mercurium corroſiuum in perfecte dulcem conuertere poſſit, ſuo iam tempore ZWOELFFERVS praecepit mercurium dulcem ſuper porphyritem tritum, aqua calida abluere, et denuo exſiccare *o*). Eandem operationem BAVMÈ commendat *p*). Hiſtoriam mercurii dulcis Cl. BERGMANN recenſuit *q*). Cl. SCHELE nouam

m) V. CRELL, ch. Journ. Th. V. p. 138.
n) V. et MACQVER l. p. 208. Tres ſublimationes MACQVER praeſcribit, etiam DOSSIE.
o) V. et SPIELM. diſſ. cit. p. 189. l. c.
p) V. et MACQVER, l. c. p. 209.
q) Act. Suec. Vol. 34. et Cl. CRELL N. Entd. I. p. 76. De criteriis vid. Apoth. Alm. 1783. p. 70.

uam methodum propofuit, *Via humida* mercurium dulcem fine fublimatione, per modum praecipitationis potius, conficiendi r). Soluitur nempe libra mercurii dimidia in eadem quantitate acidi nitri. Ebulliat per aliquot horas in balneo arenae.

Alia folutio ex nouem vnciis falis communis in aquae fontanae libris fex vel octo feruidae facta, mifceatur cum priori fub agitatione perpetua.

Facta praecipitatione fluidum fupernatans feparatur, et aqua feruida affufa edulcoratio tam diu continuatur, donec aqua prorfus infipida fit guftu explorata.

De cautelis neceffario obferuandis, et de praeftantia mercurii dulcis, per praecipitationem via humida, confulendus eft ipfe inuentor

r) Schwed. Abh. B. 40. von 1778. v. quoque in Apoth. Alm. 1781. p. 32. et Cl. CRELL N. Ent. VI. p. 160. MACQVER, l. c. p. 210. in not. Cl. LEONH.

uentor huius methodi. Mercurius dulcis per ſublimationem elaboratus chemicis appellatus fuit *Aquila alba*, et aqua ablutus calida *Manna Mercurii.* Alii praecipitatum album mannam mercurii appellarunt. Mercurius dulcis in mercatorum tabernis arſenico etiam adulteratus reperitur. Eodem modo cognoſcitur fraus, quo exploratur bonitas ſublimati corroſiui.

Mercurius dulcis eſt medicina panchreſta et polychreſta, quae ſui ſimilem vix habet in vniuerſa materia medica et pharmacia. Praeſcribitur vulgo, cum ptyaliſmus deſideratur, ſed aliis etiam vſibus optime inſeruit, et modo cum abſorbente, ſaccharo, praeſcribitur. In morbis venereis, contra lumbricos rotundos, in hydrope et quartana rebelli efficax eſt medicamentum.

Infantibus tenerioris aetatis, aut nutrici nonnunquam praeſcribitur. Sed tamen omni periculo non caret hoc praeſtantiſſimum medica-

dicamentum, nam ab eius vſu interdum tormina vehementiora aliaque peſſima ſymptomata obſeruata ſunt.

Legi caſum triſtem, mortis nempe a mercurio dulci *s*). Inſigne anthelminticum eſt mercurius dulcis cum camphora ſimul exhibitus.

FRIDERICVS HOFMANNVS, immortale decus Germanorum, meliores nonnullas formulas in med. rat. ſyſt. communicauit, inprimis vero formulam pilularum anthelminticarum, quarum ingredientia ſunt: mercurius dulcis, extractum tanaceti — alia extr. amara — myrrha, aſſa foetida, camphora, extr. flor. cham.; ol. deſtill. Rutae.

Optime medentur morbis a verminoſa cachexia ortis. In morbis chronicis, vbi pi-

s) M. E. W. Med. D. de mercurio dulci puluerato, quem adoleſcens quondam XV. annorum menſe Iun. 1702. ad grana XV. hauſit, aſt ſexto poſt hauſtum die vitam finiuit. Quedlinburgi, 1703. 8vo.

tuita multa eliminanda, commode satis ialappae radix, aloë, similia, cum mercurio dulci simul solent praescribi.

Plures formulae morsulorum anthelminticorum passim occurrunt, quae mercurium dulcem continent.

Boli forma mercurius dulcis, dentibus inimicus, sapienti consilio praescribitur.

Mercurii dulcis granum vnum cum saccharo mixtum, partitis vicibus vt ptarmicum, naribus excipere suadet Cl. SCHMVCKER in Amaurosi.

Notum est medicamentum vsitatissimum *Puluis alterans Plummeri*, ex mercurio dulci et sulphure aurato antimonii, ad partes aequales longa trituratione mixtis. Vnicus Cl. TODE damnauit *t*) qui noxios effectus huius medicamenti se obseruasse affirmat. Sit fides penes auctorem. Nunquam ego ab eius vsu malum effectum obseruaui, qui ab anno 1764. frequenter praescripsi cum cicuta STOERCKII.

PRO-

t) Bibl. P. I. p. 203.

PROGR. II.

CASSELLIS, D. XIII. AVG. 1785.

Supereſt e ſalino-mercurialibus pharmacis vnum, nuper demum inuentum, ſcilicet

Mercurius dulcis martiatus,

cuius hiſtoriam et vſum medicum, data nunc opportuna occaſione, breuiter atque ſtrictim enarrabo. Diu notum erat phyſicis, mercurium, qui cum variis metallis amalgama facillime ſiſtit, cum ferro per ſe nunquam in amalgama coire *a*). Martis cum mercurio coniunctionem nullo modo poſſe obtineri, nimis audax edixit Cl. BAVMÈ *b*). Ignorant enim Galli merita et inuenta chymica Germanorum, atque ſe ludibrio exponunt

a) — His modis, ſine iactura, fit Amalgama de omni metallo. FERRVM exceperis. — BOERH. Elem. Chem. Edit. Lipſ. 1732. T. II. p. 434.

b) Erl. experim. Chym. Th. II. p. 694.

nunt *c*). Et tamen verum eſt, diu iamiam in Germania varia inſtituta fuiſſe tentamina circa martis cum mercurio coniunctionem.

Teſte Cl. POTT *d*) ſuo tempore CARDILVCIVS martis atque mercurii ſublimati aequales partes aqua ſolvere, evaporare, ſublimare iuſſit, atque ſublimatum rubrum obtinuit. Sed verus inuentor mercurii dulcis martiati eſt vir Cl. PETR. IMAN. HARTMANN, med. Prof. Frfti. ad Viadr. in chemia et vniuerſa med. eruditiſſimus *e*). Paratur autem ex reſiduo florum ſalis ammoniaci cum lapide haematitide, et mercurio viuo triturationis et ſublimationis ope. Ratio haec eſt: acidum ſalis communis in ſale ammoniaco deliteſcens cum mercurio viuo dat mercurium

c) Neues Magazin für Aerzte, B. VII. St. III. p. 279. vbi lepida occurrit narratio de ſtupenda Gallorum ignorantia et arrogantia.

d) De ſale communi p. 61.

e) Diſſ. de Mercurio dulci martiali, eiusque praeparatione et vſu medico. Frfti ad Viadr. 1773.

rium dulcem, ſimul vero ſal ammoniacum haematitidem in ſublime rapit, vt oriatur omnino mercurius dulcis cui ſimul mars inhaeret.

Varia quae miſcendorum proportionem obſeruandam concernunt, l. c. p. 18. leguntur.

In Gallia ipſa A. 1760. et 1764. PETRVS TOVSSAINT NAVIER, vir Cl. de mercurii cum marte connubio experimenta varia inſtituit *f*).

Conſtat itaque, quod negauit Cl. BAVMÉ, martis et mercurii connubium, plus vna ratione obtineri poſſe.

Eſt

f) Leguntur in Mem. de l'Ac. des Sc. de Paris T. VI. et germ. vertente Cl. WEIGEL, in NAVIER Gegengifte B. II. Gryphisw. 1782. 4to. Erörterung verſchiedener Mittel, das Queckſilber mit dem Eiſen innig zu verbinden, und einer neuen Weiſe, das Queckſilber, ohne Beyhülfe einer Art Säure im Waſſer auflöslich zu machen, nebſt practiſchen Betrachtungen über die Wirkungen dieſer Bereitungen in verſchiedenen Krankheiten.

alcali iterum ſolui. Requiritur vero, vt acidi copia ſit larga, cui alcali ſolutum admiſceatur. Alcali volatile inprimis hoc modo largam mercurii quantitatem ſoluit, immo mercurius ex acido nitri per alcali fixum praecipitatus, ab alcali volatili ſoluitur.

Alibi occurrunt obſeruationes et tentamina, quae Cl. CADET *x*), cum mercurio in acido nitri ſoluto, et admixto ſpiritu vini per deſtillationem et ſal alcali fixum, ſcilicet tartari fecit. Obtinuit ille alcali volatile, ſal volatile ſiccum, et oleum odoris bituminoſi. In ipſo demum alcali volatili auxilium nouum contra luem gallicam inueniſſe, contendit Cl. PEYRILHE *y*). De vero vſu eius atque efficacia v. HORNE docte ſatis ſcripſit *z*).

Mer-

x) Mem. de l'Ac. des Sc. de Paris A. 1769.
y) Remede nouveau contre les maladies veneriennes, tiré du regne animal; ou eſſai ſur la vertu antivenerienne de l'alcali volatil, par b. PEYRILHE, Maitre en Chirurgie de Paris. Ib.
z) l. c. p. 173. et ſqq.

Mercurius gummosus Plenkii.

Quum haud pauci medicorum pertimescerent acrimoniam praeparatorum salinomercurialium, solertiori studio de alia methodo exhibendi mercurium sine salibus, cogitauit Cl. PLENCK; atque nouum inuentum suum publici iuris fecit *a*). Subegit ille mercurium triturationis ope cum mucilagine gummi arabici, et varia forma propinauit.

Nouam hanc methodum exhibendi mercurium praestare ceteris, variis argumentis demonstrat.

Refor-

a) Methodus noua et facilis, argentum viuum aegris venerea labe infectis exhibendi &c. Vindob. 1766. 8vo. A new and easy method of giving mercury, by J. PLENCK, translated from the latin by W. SAUNDERS. 3. edit. Lond. 1772. Animaduersiones Cl. SAUNDERS in hunc libellum, leguntur etiam in Sammlung auserlesener Abhand. zum Gebrauche practischer Aerzte, 3. B. 3. St. Leipz. 1777. 8vo p. 405. sqq. Altera et tertia editio libri PLENCKII aucta est. Prodierunt etiam germanice. Porro prodiit: Methode nouvelle d'administrer le vif-argent — ouvrage traduit du latin de Mr. PLENCK, par Mr. LA-FLIZE, — à Nancy.

Reſorberi facile per vaſa lactea ad maſſam ſanguinis, deeſſe acrimoniam, ptyaliſmum non oriri, ſi hac ratione exhibeatur, praecipua videntur. Taceo reliqua, et nouam hypotheſin de mercurii agendi modo in corpus humanum. Ipſe Vir Cl. in libello ſuo nonnullas formulas mercurii gummoſi communicauit, et alibi nuper *b*).

Ex primis fere, quibus arriſit haec noua methodus exhibendi mercurium, fuit Cl. HERZOG *c*).

Grauem vero nactus aduerſarium Cl. PLENCK, medicum olim Berolinenſem LE-

ONH.

b) In libello eleganti et docto, doctrina de morbis venereis. Vienn. 1779. 8vo. quod etiam germanice prodiit.

c) Diſſ. de morbo articulari &c. Helmſtad. 1768. Is ait p. 84. Berolini in Noſocomio regio haec medicina cito inualuit, vtilitate ſua in morbis venereis longe commendatiſſima — incredibilem huius medicamenti efficatiam in *centum* amplius *aegrotis* feliciter, iisque ſine omni moleſtia remedio illo ſanatis, grata in optimum Plenckium pietate admiratus ſum, eandemque eius etiam virtutem nuper expertus in arthritica &c.

ONH. EL. HIRSCHEL *d*). Cenſurae etiam ſubiecit Cl. WYNOLD MVNNICKS *e*) pharmaca Plenckiana. Monet autem varia contra affinitatem gummi arabici cum mercurio a Plenckio ſtabilitam, obſeruationes a Viro Cl. conſignatas mancas declarat, et affirmat, ab vſu remediorum PLENCKII ſaepius ortam fuiſſe ſaliuationem, quam obſeruarunt etiam Viri Cl. HERZOG et SAVNDERS. Doctas animaduerſiones ſuas deinde nobiſcum communicauit Cl. HARTMANN *f*) et idem Plenckii liquorem mercurialem contra vermes laudat *g*).

Tandem

d) Beyträge zu ſeinen Betrachtungen über den innerlichen Gebrauch des Mercurii ſublimati corroſiui — nebſt einem Schreiben gegen H. PLENCK Tr. methodus noua &c.

e) Diſſ. de lue venerea, eiusque praecipuis auxiliis, inter quae ZWIETENII ac PLENCKII remedia potiſſimum examinantur. L. B. 1769 4. mai.

f) Diſſ. cautiones nonnullae ad liquoris mercurialis PLENCKIANI vſum ſpectantes. Frfti. ad Viadr. 1769. reſp. SOMMER.

g) Progr. de liquoris mercurialis PLENCKIANI virtute anthelmintica, ib. 1770.

Tandem et Cl. ODHELIVS tentamina ſua cum mercurio gummoſo inſtituta recenſuit *h*). Plenckiani medicamenti docta diiudicatio legitur apud Cl. von HORNE *i*).

ROSENSTEINII combinatio mercurii corroſiui et mucilaginoſi ſupra iam fuit allegata *k*).

Commendat PLENCKII pharmaca indoles blanda et mitis, ſed omnium conſenſu aeque facile ſaliuam mouent, quam reliqua mercurialia omnia, et negari nequit, mixtionem mercurii cum mucilagine gummoſo facile iterum deſtrui, vt quotidie noua portio liquoris in pharmacopolarum tabernis conficienda ſit, ne incerta fiat doſis mercurii, et vt facilius ſubeat vaſa lactea.

Et haec quidem ſunt praecipua pharmaca mercurialia, quae interne adhibita ex lon-

h) vid. Schwed. Abh. B. 32. von 1770.
i) l. c. p. 135. ſqq.
k) vid. Ei. liber de morb. infant. ed. quarta, Cap. de lue venerea.

go tempore. Mitto permulta obſoleta externa mercurialia, quae hodie nunquam adhiberi ſolent, et de vnico dicam, quod externe frequentius adhiberi ſolet noſtra aetate. Eſt vero

Vnguentum Neapolitanum, hodie dictum.

Antiquiſſimus videtur vſus vnguenti mercurialis teſte FREINDIO *a*). Is enim ait: „*conſtat mercurii poteſtatem* (per ſaliuationem curare morbum gallicum) *etiam cum inunge-* „*retur, Theodorico fuiſſe cognitam, quippe* „*qui varia huiusmodi vnguentorum deſcribat,* „*ac regulas proponat, quam diu, et quam ſaepe* „*vnctio continuari debeat, vsque dum fluxus in-* „*cipiat, aegrum item cauere iubeat, ne per me-* „*delae tempus frigori ſe obiiciat, neque lauetur* „*intra quadrageſimum diem.*"

Plurium auctorum meminit ASTRVC *b*), qui

a) In hiſt. med. in Opp. Pariſ. 1734. 4to m. p. 524. Editiones Chirurgiae THEODORICI recenſuit b. HALLER, in Bibl. Chirurg. T. I. p. 146.

b) De morb. vener. ed. alt. Pariſ. 1740. 4to. Th. II. vid. Index tit. vnguent. mercurial.

qui ab ipſo luis venereae ingreſſu vnguenta mercurialia adhibuerunt, ab anno certe 1496. ſed omnes fere formulae illorum temporum erant compoſitae, et ſuperfluis, immo noxiis rebus nimis onuſtae.

Placuit deinde et noſtra inprimis aetate, vnguenti forma ſimpliciſſima, ex Axungia porci lota et mercurio. Ad meliorem globulorum mercurii exſtinctionem ſufficit ſaliua ſani hominis, aut terebinthinae q. ſ.

Bavmé annotauit, axungiam in connubio mercurii breui temporis ſpatio rancidam fieri. Non diu itaque in officina pharmaceutica iſtud vnguentum aſſeruari debet, ſed praeſtat recens.

Proportio vero miſcendorum in ſingulis fere Diſpenſatoriis occurrit alia. Sumunt alii, v.c. Pariſini, mercurii et axungiae partes aequales, quae proportio etiam in diſpenſatorio Argentoratenſi et Wirtembergenſi praeſcripta leguntur.

Rosensteinivs aliique ſumunt mercurii p. j. axungiae p. jj. immo alii axungiae p. jjj—jv. Facile autem intelligitur, copiam axungiae non eſſe debere nimiam. Iunioribus medicis hoc ſcitu neceſſarium eſt, quae proportio ſit formulae officinalis, cum definire velint copiam vnguenti illinendi: Multum enim intereſt, qua copia quotidie mercurius applicetur frictione.

Cl. despatvreavx commendauit camphoram, vnguento mercuriali adiiciendam, et affirmat camphoram cohibere vim mercurii ſialalogam, non vero deſtruere vim antiſyphiliticam. Ait ille, ſe obſeruaſſe, per vncias octodecim ad ſummum, luem fuiſſe ſanatam, ſine omni ſaliuatione *c*).

Pro

c) *Miſſa*, diſſ. reſp. despatvreavx auctore, E. lui venereae Hydrargyrus camphoratus, affirm. Pariſ. 1750. recuſa in Collect. diſp. pr. halleri — et germ. à Cl. crell in Sammlungen — B. I. p. 492. Gallice in vandermonde: Journ. de Med. et germ. Samml. &c. B. IV. Frft. et Lipſ. 1760. p. 359.

Pro mercurio camphorato militant Cl. RAISIN *d*) et Cl. CORDET *e*). Sed VOGELIVS, COLOMBIER, Cl. BLOCH *f*) affirmarunt, camphoram non impediuisse ptyalismum.

Primis sex diebus inungere iubet DESPATVREAVX vnguenti drachmas duas, deinde vero diebus alternis vnciam dimidiam.

Monet simul, b. FR. HOFFMANNO iam cognitam fuisse virtutem camphorae antisyphiliticam *g*), quam et nuperi laudant *h*). Sed circumspectum vsum Cl. COLLIN *i*) sqq. verbis commendat: „*Lue venerea laborantes* „*a Camphora, magna dosi data, male habent:* „*spasmis corripiuntur, conuulsiones minitanti-* „*bus*

d) VANDERMONDE, germ. Samml. B. V. p. 472.
e) VANDERMONDE, germ. Samml. B. VI. p. 153. Habet proprias obss.
f) v. Cl. CRELL l. c. p. 593.
g) v. Ei. diss. de Camphorae vsu interno.
h) v. Cl. CRELL l. c.
i) Obss. P. III. Camphorae Vires. Vienn. 1773. 8vo. p. 148.

„bus, excitatur inde in illis febris, et varia alia „ſymptomata. Si tamen in humoribus iam na„ta ſit putredo, his etiam prodeſt.“

Vnguenti mercurialis ſ. neapolitani vſus maxime frequens fuit ad luem gallicam et hydrophobiam ſanandam. De adhibendi methodo infra ſermo eſto. Hic ſufficiat generatim dixiſſe, conſilio tantam quantitatem interdum inungi, donec oriatur ptyaliſmus, interdum vero minorem longe copiam, omnique ſtudio praecaueri ptyaliſmum.

Per *extinctionem miaſmatis* curare morbum ſyphiliticum, hanc medendi rationem appellant. Hanc tribuunt plerique Cl. CHICOYNEAV, olim Prof. Monspelienſi, inuentori, et ad Annum 1718. referunt *k*).

Sed

k) In diſſ. Frictiones mercuriales ad curandam luem veneream non ſunt adhibendae in hunc finem, vt ſaliuae fluxus excitetur, Monspel. 1718. Poſſideo anglicem verſionem: CHICOYNEAV, the Practice of Salivating

Sed recte monuit b. HALLERVS, methodum, quam Cl. CHICOYNEAV inuentori tribuunt, iam 1709. in Heluetia adhibuiſſe Cl. IO. CONR. à BRAVN *l*). Nolo hic de commodis aut incommodis inunctionis vtraque methodo diſſerere, nec de inunctione, quam in ore ipſo commendauit Cl. CRVIKSHANK, aut de ptyaliſmi plenioris vel parcioris infortuniis,

vating ſhewn to be of no uſe or efficacy in the cure of the Venereal Diſeaſe, but greatly prejudical thereto, or the antivenereal virtue of Mercury prov'd to be independent of any ſaliva evacuation. With the method of Applying it, ſo as to obtain it's full Force, and a thorough cure, without, infinitely better than with the Tortura of Salivation. Thy whole abundantly ſupported from Experiences and Matters of Fact. Lond. 1723. 4to.

l) Prodiit viri doctiſſimi opus poſthumum: diſſ. med. de methodo tuta et facill, citra ſaliuationem curandi luem veneream, quam experimentis et obſſ, pract. firmatam et illuſtratam, olim ſibi comparauit b. m. IO. CONR. à BRAVN, Prof. quondam Heidelbergenſis etc. nunc publici iuris facere decreuit, IO. IAC. filius. Scaphuſii 1739. 4to vid. et ASTRVC T. II. p. 1090. iniunctiones partiales à primis fere temporibus adhibitas fuiſſe — &c.

tuniis, de quibus infra dicendi locus erit. Hoc tamen hic praeterire nequeo, Cl. GARDANE m) multis argumentis damnasse omnem inunctionem vnguenti huius.

Cutim ait ille, obstruit vnguentum mercuriale, impedit insensibilem transpirationem cutis, vt mirum non sit, impetum humorum versus glandulas oris dirigi, atque ptyalismum oriri. Febrim accendit cutis obstructio, vnde humorum ad putredinem vsque fusio; faucium inflammatio, deglutitio difficilis atque suffocationis metus, et centum alia symptomata, quae inunctioni omnia debentur. Euiluit iamdiu iterum methodus inungendi in ore ipso, a Cl. CRVIKSHANK proposita. Hic solum de praeparatis mercurialibus loquor, infra vero de singulis morbis dicam, in quibus mercurii virtus laudata

fuit

m) Prodiit germ. ex gall. GARDANE über die verschiedene Arten die Lustseuche zu heilen. Augsp. 1771. et melior versio, Sorau 1777. 8vo.

fuit vnquam, vbi etiam fermo erit de vfu topico vnguenti mercurialis.

Iam agmen claudat hiftoria

Emplaftri mercurialis.

Nobis hic otium fecerunt viri litteratiffimi, b. van SWIETEN, qui in commentariis meminit, cingulis variis et armillis, externe applicatis, faeculo XVI. illiusque primis annis, iam luis fanationem multos fufcepiffe, et eruditiffimus ASTRVC, qui de emplaftris mercurialibus eorumque vfu ad luem fanandam, fere omnia exhaufit, vt nullum fere fuperfis fpicilegium.

Ofcitanter legit, vt Galli folent, opus b. ASTRVC, Cl. von HORNE *n*), qui ait b ASTRVC ad Annum 1553. retuliffe vfum emplaftrorum mercurialium. Si legiffet, quae antea T. II. p. 620. ASTRVC de IO. VIGONE fcripfit, cuius Chirurgia prodiit 1514, non ignoraffet, longe ante 1533. emplaftra mercurialia

n) l. c. p. 222.

curialia in vſu fuiſſe — immo diu ante annum 1514, quod iamiam ex indice operis b. ASTRVC patet, modo voluiſſet indicem euoluere — quod tamen facere ſolent, qui vix primis labris guſtarunt artis cuiuscunque hiſtoriam — Emplaſtrum IO. de VIGO, aut ceratum potius, maximam adquiſiuit famam, diuque in vſu fuit, ad recentiora vsque tempora.

Bene ait l. c. beatus ASTRVC, emplaſtra vicaria ſunt inunctionis, ſed tardius operantur — et bene dixit b. van SWIETEN, incertam eſſe copiam mercurii reſorpti, eamque ob cauſſam vix diu cingulis et armillis curam luis in vſu fuiſſe, cum melior innoteſceret ſtatim methodus propinandi mercurium. Emplaſtrorum mercurialium praecipua fata, fuerunt haec, vt in ſingulis formulis, quarum exempla fere innumera ex tot libris pharmaceuticis ego colligere nolim, quantitas mercurii ſit admodum varia, modo minor, modo maior. Ipſe VIGO habet em-

plaſtrum

plaſtrum de Ranis cum mercurio, duplicatum, triplicatum, quadruplicatum. Aliam proportionem praecipiunt Edinburgenſes, Londinenſes, caeterique. — Sed in eo conſentiunt omnes, tardam eſſe efficaciam emplaſtrorum — nam mercurius, quem tenacia inuoluunt, difficulter et ſero demum reſorbetur, emplaſtra cutim obſtruunt, inflammant, et quod ſaepius obſeruaui, ab vſu emplaſtrorum mercurialium, bubones longe frequentius indurantur magis, quam vt emollitionem expectatam obſeruare poſſis. Euiluit itaque hodie emplaſtrorum vſus fere omnis, horumque loco potius vnguenta adhibentur, ſupra et infra bubonem illinenda, vt facilior reſorptio.



Quae dicenda ſuperſunt, de vſu imprimis mercurialium ad varios morbos ſanandos, de modo agendi in corpus humanum, de vſu eius polychreſto, variisque adhibendi formis, ea omnia proxima tradam occaſione.